E Dono Johannis Sebast

Hmerkij [illegible]

Smetiudiem

[illegible]

Del Card.^l Fran.^co maria
Nerlini.
1610

HOMO POLITICVS,

HOC EST:

CONSILIARIVS NOVVS, OFFICIARIVS ET AVLICVS, SECVNDVM HODIERNAM PRAXIN,

AUCTORE

PACIFICO A LAPIDE.

EDITIO SECUNDA, AUCTIOR ET EMENDATIOR.

Cui

ACCESSERUNT MONITA PRIVATA SOCIETATIS JESU.







COSMOPOLI,

M DC LXVIII.

L. S.

Amicissime Lector; Quia Priorem Mei POLITICI Editionem non ingratam fuisse, ex distractione omnium ferè Exemplarium perspexeram, è quibus aliquot ipsemet Viri magni nominis communicaveram, facili negotio ad præsentem denuò editionem animum adjeci, quam in aliquibus locis auctiorem, & in §§. distinctam, jam tibi sisto, ut inde meum, ad promovendum Bonum Publicum, studium ediscas. Adjeci Monita Privata Patrum Societatis JESU, rationem instituti, Prooemium iis præfixum, te edocebit. Interim magno tuo fructu hoc meo conatu fruere, & vale.

S. Gregorius M. Papa l. 10. *Moral. Cap.* 16. *in Cap.* 12. *Job.*


Hujus mundi sapientia est, cor machinationibus tegere, sensum verbis velare, quæ falsa sunt, vera ostendere; quæ vera sunt, falsa demonstrare. Hæc nimirum prudentia usu à juvenibus scitur, hæc à pueris pretio discitur: hanc qui sciunt, cæteros despiciendo superbiunt: hanc qui nesciunt, subjecti & timidi in aliis mirantur: quia ab eis hæc eadem duplicitatis iniquitas, nomine palliata diligitur, dum mentis perversitas, urbanitas vocatur. Hæc sibi obsequentibus præcipit honorum culmina quærere, adeptâ temporalis gloriæ vanitate gaudere, irrogata ab alijs mala multiplicius reddere; cum vires suppetunt, nullis resistentibus cedere; cum virtutis possibilitas deest, quidquid explere per malitiam non valent, hoc in pacifica bonitate simulare.

Brevis

Brevis Admonitio ad Lectorem.

CUm jamjam Hominis Politici secundam Editionem promovere destinassem, incidi fortè in Aristarchi cujusdam Disputationem, in Celeberrima Treboccorum Academia nuperrimè habitam, ubi hanc quæstionem incidenter tangit: An deceat aut expediat ipsum Principem jus dicere? Negativam me simpliciter in scripto, cui titulus, Homo Politicus pag. 19. defendere, impudentissimè calumniatur; Cum tamen nunquam hoc somniassem: Ego loquor de Praxi, & ostendo, quod sic hodie fiat, ille mentem meam sinistrè interpretatur, & quod de facto ibi disserui, quasi de Jure id fieri proposuissem, vanè & imprudenter cornicatur. Vocat me Scriptorem pessimum, & ille pessimè mecum agit, dum scopum meum pessimè pervertit: Ait me pestiferis meis Consiliis juventutem non tàm inficere quàm interficere; proh lepidum (verius dixissem insipidum) caput! Si distinguere factum seu praxin à jure scivisses, melius docuisses. Ego scriptum illud non ad juris sed praxeos ideam adornavi, non quòd ibi relata probarem, sed quòd verè à Pseudo-Politicis (qui tamen veri Politici vocari & haberi volunt) sic hodiè fieri ostenderem; Si tantùm statim in primo limine, titulum Scripto Præfixum accuratè respexisses & ritè ponderasses, in hanc perversæ, variæ, & falsæ Citationis dementiam non prolapsus fuisses. Sed quid pluribus erga imperitum Censorem verbis opus? Sufficiat, me ibidem dicta non docendi, verùm malas hasce artes detegendi, animo proposuisse; sic quidem, ut, sicut thyriaca è variis animalculorum venenatorum generibus à Medicis præparatur, & tamen optimi, contra venenum Antidoti instar servit, perspectis hisce flagitiis, technis & fraudibus, quibus maxima Politicorum pars hodiè in perniciem Reipubl. utitur, honesti juvenes illas vitare discant, à similibus perpetrandis abhorreant, & adultiores facti, per alia licita honestaq; media honorum scalam ascendere curent. Hæc Benevole Lector, in antecessum brevibus Te monere volui, debui. Vale.

De Avtodikia. Artic. 2. § 20.



HOMO POLITICVS,

Hoc eſt:

CONSILIARIVS NOVVS,

OFFICIARIUS ET AULICUS,

ſecundum hodiernam Praxin.

§. 1.

PLurimi ſunt Authores, qui Hominem Politicum hujus ſeculi variis informant Præceptis, imò prolixi nimis, infinitis Præceptionibus onerant, quorum tamen pauci, pro temporum & ingenii ratione, aliquid præſtiterunt, verùm, qui perfectum formârint formentque, præſertim ad ſingulas Reſpubl. meo judicio, adhuc nullus extitit. Proinde operæ pretium exiſtimavi, partim ex meo ingenio inventa, aliorum moribus actionibusque probata, partim ex Jeſuitarum placitis, moribus, conſiliis, monitis, principiis, & denique ex Veterum & noſtri ſeculi Exemplis hauſta Præcepta, quâ poterit fieri brevitate & Compendio, in chartam conjicere, unde conſpici poſſit, quibus mediis hodiè Politici ad honorum & dignitatis culmen aſcendant, & ad divitiarum ingentes theſauros, Regum deniq; & Principum gratiam aſpirent.

§. 2.

Principiò naturæ quisque ſuæ, virium & ingenii facultates noviſſe debet, & probè expendere, ad quæ quis aptus ſit vel ineptus, & naturæ ſemina ſequenda potiùs, quàm illis adverſando, fruſtra opera & ætas inſumenda. Si tamen non prorſus ſtupidi ſis ingenii, eligas Præceptores & Moderatores, conformandis moribus hujus ſeculi, & informando animo, aptos, fidos & diligentes, illis te, tua ſtudia, vitamque totam credas, illos ſecteris, mores æmuleris, inque omnibus te accommodes: Inde fiet ut plus tibi credant, plus diligentiæ in te conferant, ſibique, ſi non pares, æmulos tamen, for-

formare conentur. Illi sunt hoc tempore Lojoliticæ sive Jesuiticæ Societatis Religiosi, qui, dici non potest, quâ arte, quâ industriâ, in omni doctrinâ, & ad præsentis temporis rationem, mores formare possint; neque te Religio avocet, persuasio quædam est, & superstitiosa Pietas, imò pura puta deceptio, quæ homini Politico, si finem suum assequi vult, non magni æstimanda, quod optimè perpendens, nescio quis, scripsit, se non credere, quòd ex bono Christiano possit fieri bonus Imperator, nec quòd Imperator possit esse bonus Christianus, addo, nec Consiliarius, nec Aulicus, nec Officiarius Bonus is, secundum hodiernam Praxin, esse potest, qui bonus vult esse Christianus.

Nam Religio hodie inane nomen est,
—————— Praterea q. nihil.

Cujus rei illustre testimonium Princeps ille, è numero Protestantium, moribundus, meo Politico reliquit; cùm enim horâ ante mortem ultimâ Concionator Aulicus Ordinarius, duobus aut tribus aliis comitatus, ad illum accessisset, appropinquansque lecto, nomine totius Ecclesiæ conjurasset, Testimonium Religionis suæ, quam profiteretur, aliquod daret, ac formulam Confessionis fidei coram circumstantibus ederet, in hanc finem addens, ut ultima tanti Principis verba in memoria hominum conserventur, & authoritatem concilient opinioni, quam sectarus esset. Subridens paululum huic petitioni ille, mox respondebat, Domine, Mi Amice, doleo, quòd non possim satisfacere in eo, quod petiisti, vides enim, me jam in tali statu non esse, ubi longè differere, aut subtilem fidei meæ rationem reddere concessum, paucis ideo dicam verbis; Credo duo & duo esse quatuor, ac quatuor ac quatuor octo, addens, Dominus iste, monstrans digitô Mathematicum quendam tum præsentem, cætera meæ fidei puncta melius tibi declarare poterit. Hæc fuit Religio vere Politica; sic hodiè cum ea luditur; aliter nempe ore, aliter corde credendum ad modum Religiosorum quorundam in Hispania, qui per viginti Annos celebrantes SS. Officium Missæ, & publicè docentes Theologiam, tandem extremâ vitæ horulâ appropinquante, manifestabant se esse Judæos, quoad fidem, sed quoad professionem, Christianos. Vel ut alius in Synodo

Socrate Chrestien du Sr. Balzac. p.126.

Sr. de Balzac dans l'Apologie contre le Docteur Louva. in p.191.

Sr. de Ba- Hispaniæ Ordinum Religiosorum Generali, per annos quindecim
zac. ibid. se Religiosum, sed tantùm per quinque ex iis Christianum se esse,
pag. 192. ingenuè fassus fertur. Neque certè (quod Principio notandum) uni Religioni seu Catholicæ, seu Lutheranæ, seu Calvinianæ, sive qualiscunque fiet, se mancipare ita convenit ut ei adhæreas tenaciter, sed ut in omnibus eam simulare dissimulareque (sicut temporis, Rei & Loci necessitas ex tua utilitate voluerit) semper discas: Meus Pontifex, tuus Pontifex; Meus Lutherus, tuus Lutherus, Meus Calvinus, tuus Calvinus esto: Omnes siquidem Religiones, à pura mente profectæ, intentionemque & conatum colendi DEI habentes, ei gratæ sunt, ac per omnes illas Salus æterna speranda: prout hoc libertinorum axioma, quidam magni nominis Princeps, piè defendit. Eorum itaque Lojolitarum ductum in moribus, artibus, imò in omnibus rebus sequere.

§. 3.

Ad annos discretionis perveniens, elige, quid ingenio congruum, quid proposito studio sit conveniens; & tum initium à Præceptorum Politicorum libris sumendum, inprimis Machiavelli, famosissimi illius Politici Itali, Princeps, ut & reliqua ejus scripta iterum iterumque perlegenda, qui Consilia Politico & Consiliario Principis necessaria, inter omnes Politicos optimè suggerit. Contra quem, quotquot Antagonistæ insurrexerunt, & ejus libros refutare aggressi sunt, omnes tamen in cassum laborarunt, ac melius fecissent si tacuissent, sicque crassa eorum, in moderna Politices praxi, ignorantia non apparuisset. Ut porrò ab ineunte ætate semper singularia præ reliquis discas, quòd in aliis non item inveniatur; idque in sermone, gestibus, arte, nempe ut linguam formes promptissimam, inque omnibus expeditissimam, ut vocis gravitati adsuescas, idque si à natura non datum, Demosthenis celeberrimi Græciæ Oratoris, exemplô corrigas, ut alios imiteris: Verum enim
Fr. de est illud vetus verbum, Lupum quidem auribus haud teneri posse,
Marsela- populum autem inde maximè duci oportere, & præclare quidam
er Legat. ait: nemo magnam Potentiam sine Eloquentia est assecutus. Ne-
l.1.differt. que pudeat affectare doctiores, donec in mores proprios abeas, qui
25. cum gravitate juncti, humanitatis quandam speciem simulatam præ-

præ ſe ferant, ore quidem & vultu, ut ſubridens quaſi intuearis & alloquaris omnes, ut geſtibus & aliàs illis ſeriò velle videaris. Alcibiadem, Hiſtoriæ tradunt, tanta fuiſſe animi facilitate, ut diverſis contrariisque moribus facilè conſueſceret, & veluti Polypus ad ſubjecti ſoli ſpeciem, faciem coloremque mutaret; adeò ut ſecundum diverſos populos, ad quos divertebatur, variaret & mores, plane ita, ut illic natus educatusque videretur. Nam cum in Lacedæmonia verſaretur, gravis & ſeverus eſſe videbatur, manuque ſtrenuus, in Jonia autem iners, delicatus ac mollis, voluptatibus pro more gentis diffluebat: ſed cùm hæc ſint omnia vulgata, plura non addo.

Aelian. & Plutarch. in vit. Alcib.

§. 4.

In hoc verò cardo rei conſiſtit, ut artem excolas: non tamen ut Mediolanenſis ille Medicus, qui nuda poſſeſſione ſcientiæ contentus non inveſtigabat particulariter in Medicina curationem ægrotorum. Rariſſimi enim ſunt, qui nullis imbuti literis ac artibus, naturæ tantùm ductu ad culmen honoris adſpirare potuerunt. Unicum in Galliis exemplum in Henrico Momnorancio Conneſtabili, & in Septimaniâ Prorege annotavit inſignis noſtri ſeculi Hiſtoricus: At nec omitti debet, inquit, non modo Momnorancium neſciviſſe literas, ſed ne prima quidem Elementa: ut portento haud abſimile videri poſſit, virum litterarum penitus rudem, ſolo naturæ genio, ſummum rerum apicem aſſequutum, quem ambiguis temporibus tenuit, tantâ laude, ut Aulicorum ætatis ſuæ Princeps fuerit, ſeu natales, ſeu fortunam attendas, aut dotes animi. Hæc ille: Icircò primò quidem omnigenam tibi ſcientiam artium quarumvis, ſi non exquiſitam & diſtinctam, tamen talem qualem & confuſam compares, ut de omni ſcibili differere poſſis. Pudeat enim Miniſtrum, ſe ne mediocriter quidem eruditione eſſe præditum; nam quid juvat ſe ſola barba oſtentare virum, & ſolo officii nomine velle gloriari? quomodo navem is gubernabit, qui artem gubernandi non perdidicit? quis Rempubl. rectè regere poterit, qui regendi diſciplinam non hauſit? quomodo ſtudiorum promovebit Commercia, qui nunquam in iis ſe exercuit? qui cum Anthæo Scytharum Rege hinnitum equi libentiùs, quàm muſicum inſtrumentum audit? An laudem ſibi acquiſiviſſe putas Can-

Ariſtippo de Mr. Balzac. p. 96.

B. Gramond. Hiſtor. Gall. l. 1. p. m. 52. add. Io. de Bußier Hiſt. Fr. l. 23. p. 493.

Cancellarium illum Galliæ, quem literarum adeò rudem fuisse ajunt, ut Senecam Juris Canonici Doctorem esse, inque libris suis de Beneficiis, solidissimè de Materiis Beneficialibus tractasse eum crediderit; illumque à quodam sic persuasum Moream seu Peloponesum pro Regione Maurorum habuisse, ac aliquando totum consumpsisse diem in Tabulis Geographicis (chartas vulgo appellant) evolvendis, ut Aristocratiæ & Democratiæ situm, quas Dalmatiæ & Croatiæ instar inibi se reperire posse putabat, cognosceret. Proh pudorem! Ut porrò varias addiscas linguas, pro ratione nostri seculi valentes, Hispanicam nimirum, Italicam, at inprimis Gallicam, quæ totum jam verè pervagatur orbem; ne, quod præfato Cancellario contigit, ignorantiam tuam ipse prodere cogaris, cùm enim Legati Polonij Regni Parisios venissent, Civilitatem suam latinô sermone coram illo declarantes, se excusari petiit, quòd iis non responderet, sibi enim nunquam curæ fuisse, præter patriam Gallicam, aliam addiscere linguam. Si vero ingenii viam præcludit stupiditas, medicamentis corrigere nec pudeat, nec Religio tibi sit ad artes confugere alias, puta Memorativam, Lullisticam, Cabalisticam minorem & majorem, Magiam, Doctrinam Spirituum & Conjurationum Arcana, & similes, quarum beneficiô, si fidos præsertim Præceptores, quales sunt ignei Ignatii, Lojolæ, Hispani, Socii ac Discipuli moderni, nactus fueris, quasvis non saltem artes comprehendere perfectè, sed ad abstrusiora naturæ, arcana Consiliorum, prævisos rerum eventus, pervenire poteris; imò hoc inde habebis beneficii, ut, quod natura tibi denegavit prorsus, hæ artes suppleant, ut nec ingenio, nec arte, nec quidquid inter homines magnum & singulare habetur, te quisquam major sit futurus.

Aristippe de Mr. Balzac. p. 95. *Aristippe de Mr. Balzac p. 68.*

§. 5.

Hisce artibus instructo summâ curâ videndum, qui mores nostro Politico conveniant ad hæc tempora. Continentem habeas linguam, nihil effutias temerè, secundum illud.

Jo. à Choker Thesaur. Pol. Aphor. part. 2. l. 3. diss 32.

Ne gesticulatim loquere, aut caput manusq;
Jacta nimis, hæc optimè dicta devenustant.
Sed nec sic, quasi cum alio levis loquare
Spectes aliorsum: tua frons sit apta fronti,
Sed utrumque modesti dabis, alterna reponens.

Neque quicquid in buccam venit garrula lingua prodat; tacuisse enim neminem pœnituit, dixisse permultos. Pythagoræ insiste vestigiis, cui maximè probatum fuit silentium, & eorum quæ dicere nihil attineret, taciturnitas. Neque verbum ullum à te temerariò excidat, quod non vel aliis placere, vel tibi commodo esse poterit. Neque tu tam veri tenax sis, ut non fingere tanquam aranea artificiose, quod ad tuam faciat utilitatem & institutum tempestivè discas: hoc optimè perpendens Gallus quidam scripsit; *Le fondement de cette opinion est qu'encore que le mensonge soit defendu, & que ce soit une chose indigne de l'homme, & une vilaine perspective en sa conduite, que le dehors contradise son interieur, que la langue demente le Coeur, & que la Parole trahisse la Penseé dont elle est l'image & le Caractere; si est ce que Personne n'est obligè de manifester tousiours les sentimens. D'estaller tout ce qu'il a dans l'ame: de faire du premier venu son confesseur & son juge; & il est certain que Dieu nous à aussi bien recommendè le silence pour taire le veritez dangereuses, qu'il nous à donne le parler pour publier les necessaires.* Ac si juxta mentem Platonis crebro mendacio & fraude imperantes uti oportet ad commodum subditorum, cur non æquè Politicus noster in commodum suum privatum? Quid, quòd ex Sacra Historia constat, Tres Sanctissimos Viros simulatione usos fuisse? Abrahamum nempé ac ejus Filium Isaacum, quorum ille Saram uxorem apud Pharaonem; hic Rebeccam uxorem apud Abimelechum, Reges Ægypti & Palæstinorum in Gerar, Sorores suas esse dixerunt: Et Regem Davidem (qui Vir secundum cor DEI à Spiritu S. nominatur) dum amentiam apud Achin Regem Geth callidè simulabat; Nec tamen unum ex iis à DEO ideò reprehensum aut punitum, divinæ Literæ asserunt: imo inveniuntur inter Doctores Ecclesiæ, qui primum excusant, ajunt enim, quòd solùm necessitate compulsus Abraham ingressus fuerit Ægyptum, & confidens in DEO suo, quòd ipsum in omnibus protegeret, & pudicitiam suæ uxoris conservaret usus humanâ prudentiâ rogaverit ipsam, ut diceret se esse sororem suam, quod verum erat, nam in Scripturâ cognati carne, dicuntur Fratres & Sorores, quo sensu etiam alibi

Disc. 14.

Silhon en Ministre d'Estat. l. 2. part. 1. disc. 14.

Ex Plat. l. 2. de LL. Arn. Clapmar. de Arcan Rerum Publ. l. 1. c. 6.

Gen. 12. & 26.

Act. 13. 22. 1. Reg. 21.

R. P. F. Philippus à SS. Trinitate Carmelit. Discalc. Definitor General in Gener. Chronol.

Mundif. 132 *edit. Lugdun.* 1663. alibi Abram vocat Loth suum fratrem; non autem rogaverit, ut diceret, & se non esse uxorem ipsius, quod falsum fuisset; Unde ex duabus veritatibus voluit unam manifestare, aliam tacere. Cur ergo meo Politico vitio detur? Nam, ut quidam non ineptè canit.

Hæc est Aularum nova lex, ne dicere verum
audeat, & falsum dicere ne metuat.
Dissimula simula, quoties occasio poscit,
Moribus ut morem, temporibusq; geras.
Temporibus qui ritè sapis, servire memento
omnibus, ut tempus serviat omne tibi.

§. 6.

Aliorum etiam dicta & facta ne facile prodas, nisi quando nocere poteris illis, vel prodesse, qui mutuo tibi officio paria facere possint. Et cum opinione homines citius quam vero moveantur, ita mores formandi, ut tibi prosint, aliis sint accepti. Non aliter autem prodesse possunt, nisi cum sententiam tuam & vera Consilia credis nemini; sed simulare dissimulareque maturè discas: Hanc quippe virtutem (quæ Aulicæ Prudentiæ quasi centrum est) sibi familiarem reddere, noster Politicus enixissimè laboret, si enim ea in privatis contractibus locum habet, *l. 1. D. de Dolo Malo.* uti ICtus ait, posse sine dolo malo aliud agi, aliud simulari, quanto magis in Politicis? Hinc perbellè Romanæ Eloquentiæ parens: *Cic. l. 10. Ep. 9.* ut ad effectum, ait, consiliorum suorum veniant, multa oportet simulent inviti, dissimulentque cum dolore. Legimus Tiberium, *Tac. A. 1. 4. 4.* ut iram, simulationem, secretasque libidines meditari, iisque se adsuefacere posset, Rhodum in exilium decessisse. Ita tu discede in animum tuum, affectusque tuos omnes cohibere, falsa simulare, libidinemque occultare disce. Nihil tam nocet homini Politico nocuitque, quam apertus animus, lingua veri *Val. Max. l. 2. c. 2.* prodiga, consiliorumque detectrix; Cum enim taciturnitas tutissimum rerum administrandarum vinculum dicatur, & rectè *Q. Curt. l. 4. c. 49.* Curtius sentiat, neminem res graves sustinere posse, cui tacere grave. Inde si non alterius, solùm tui commodi causâ, taciturnitatis laudem habeas. Benè Poeta.

Eximia

Eximia est virtus, præstare silentia rebus:
At contra gravis est culpa, tacenda loqui.

Et alius quidam scite dixit, quanquam non omnia & in omnibus ad nostrum scopum;

Commissa cui sunt verba, ceu depositum,
Si retegit, est iniquus, aut est garrulus.
Si spe lucri, est iniquus: hac sine garrulus,
Censendus autem uterq; pariter improbus.

Ex Anaxandro Comico Chokie Thes. Pol. Aph, p.1. l 3. c. 15.

Magis necessaria sæpius est scientia tacendi, quàm loquendi: hucque possunt accommodari, quæ subtilis ille Italus de Secretariis Principum prodidit; Ego, ait, edoctus sum, nullum Secretarium (Politicum, Aulicum, Consiliarium) secus ac alii existimant, esse laudandum, qui lingua promptus est, sed qui benè tacere novit. Itaque caveas ne varias res crebrò scisciteris ab aliis, tuum commodum præsertim nil attinentes; hinc enim suspicio garrulitatis apud prudentes oritur, secundum illud; percontatorem fugito; nam garrulus idem est; in omnibus quippe auram cujusvis frugi Politicus captare debet. Non verò Taciturnitati studeas, ut aliis potius quàm tibi prosis, sed ut tibi nec noceas. Itaque si quid prolatum velis, unde emolumentum venari possis, arte id per alios arcanorum aucupes, vel quocunque modo facias: ex eo hoc commodi habebis, ut animum eorum, quibus cum necessariò conversandum, aucuperis.

Tr. Boccal. Parnass. Ragg. 38. c. 1.

§. 7.

Cavendum certe à conversatione multorum, ut & à familiaritate nimia parium præsertim & inferiorum, à quibus tibi nil commodi, (cujus Homo Politicus studiosissimus esse debet) præter contemptum & diversorum sinistra judicia provenire possit. Hinc benè, nescio quis Aulicæ prudentiæ, hoc præceptum dedit:

Nulli te facias nimis sodalem:
Gaudebis minus: at minus dolebis.

Entretiens de Mr. de Voiture & du Mr. Costar. p. 301.

Insignis hac in parte artifex fuit Dux ille Gallus Epernonius, qui raro sui copiam faciebat vitando ex familiaritate contemptui: celabat se in ostentationem, quo major audiret. Prudentis est oblivisci neque novisse cujus nihili faciunda gratia, inquit

B. Gramond. Hist. Gall. l. 3. p. m. 226.

te fore nunquam, si te fortunæ committas, grandes quippe jacturas facit fortunæ jactus, & sæpè diu amata, amara fit; sed vel astu, vel simulatione, vel alia quavis arte prudens possis evadere, & finem tuum assequi: sicque soli tibi rem agis caute, nisi sis planè stupidus; res ipsa suggeret modum & rationes alios fallendi, gloriam, honorem, commodum, cum aurâ populari assequendi, paritque hæc res admirationem, si quod aliis ignotum, tu prospicere & prædicere possis.

§. 9.

Ut autem mores tui aliis sint accepti, etiam atque etiam videas, ut te superioribus sermone, gestibus accommodes, omnia simulando dissimulando ad captum, ne tu adulationis aut assentationis suspicionem incurras, præsertim apud Principes: id enim ut contemptum apud pares, ita non rarò odium tui Principis conciliat, ne facilè (ut ut assentatores in Aulis locum præcipuum obtinent) eventum rerum tuarum minime felicem experiaris, ideo vellem, ut quam diligentissime ponderares considerares que Proemium à Cajo Caligula Cæsare Adulatoribus Aulicis datum, hoc modo; quum Publius Afranius Potitus homo plebejus, stultâ quadam assentatione non modò volens, sed etiam adhibito jurejurando promisisset, si (ægrotus) Cajus convalesceret, se libenter moriturum: Quumque Afranius secundus, Vir Equestris ordinis, dixisset, se velle ob eandem causam in singulare certamen descendere, ambos pro pecuniâ, quam se speraverant accepturos, quod vitam pro Cajo effundere voluissent, coegit (Cæsar) promissa facere, ne pejerarent. Severa castigatio! Ergo adulationem ceu pestem fuge. Cumque hodiè nulli sint in Aulis Principum acceptiores, nulli feliciores; parasitis illis enim licet intrare, sedere, loqui, illis cibus de Principum mensa datur, cubicula & arcæ etiam Principum patent, illis creditur, mos geritur, illis benè aut malè, prout voluerint, de unoquoque loqui licet; grata denique sunt omnia quæ dicunt aut faciunt, illis plurima Principes largiuntur, ij verò, quibus onus gubernationis incumbit, vix admittantur, raroq; remunerationem laborum accipiant, cum tamen virtutum prœmia tribui merentibus

Dion. in vit. C. Calig.

Caspar. Ens Epidorp. l. 1. p. 39.

tibus conveniat, ne tamen dedecus pro gloria præmium assentatorum habeas, caute Principi assentiaris, ne videaris esse ex eorum numero, qui tàm noctu quàm interdiu permulcent aures suis Principibus, nec tantùm applaudunt dictis eorum singulis, sed & prolixè eos ornant laudibus, quos tamen execrantur taciti, quantumvis fausta ominando propalam, ut Philo adulatores assentatoresque aulicos depingit: *Philo. libr. de Migrat. Abrah.*

§. 10.

Non perpetuò Principem tanquam umbram secteris, neque prorsus conversationem ejus fugias, sed cum ipso tanquam cum igne age, à quo non adeò abes, ut illius calore foveri non possis; nec sic illi appropinquas, ut illius incendio ipse conflagres. Verùm probè observes si quando curis vacuus Princeps ad lætitiam solvitur, tùm autem seria (non molesta) afferens, animo ejus facetiis singularibus (non tamen scurrilibus, vel sordidis, aut asperis, quæ acrem memoriam relinquunt) cum gravitate quadam indulgeas. *Tac. A. 15. 6. & 4.* Itaque non minus facetiarum, historiarum, quàm sapientum consiliorum copia pro temporum diversitate institutum oportet esse Politicum. Pocula etiam, si quando necessitas efflagitet, non detrectes, more nostri seculi laudabiliter ferè ubiq; recepto: imò aliquamdiu Principem largius invites, tum præsertim, quando aliquid commodi speras (quod Lojoliticæ Societati solenne medium & arcanum status, hamusque ditandorum Collegiorum hactenus fuit) sicque assentationis vitium declinans optimè cum Principe conversaberis. Vulgaris Politica præcipit, ut Princeps Ministrorum suorum ingenia noscat, secundum illud:

Principis est Virtus maxima nosse suos.

Sed tu cave animum tuum exploret, versutus sis atque versatilis, cautè tamen in quamvis partem tanquam rota figularis, vafer & involutus, addo ac astutus, ut tu potius ejus conversatione probè agnoscas ingenium, antequam audacter cum eo converseris; vide sis ut tàm peritus fias in ingenio & moribus Principis, quàm in ejus negotiis, exemplo Sejani, qui Tiberium Imperatorem variis artibus devinxit adeò, ut obscurum adversum alios, sibi uni incautum intectumque efficeret. *Tac. A. 4.* De reliquis cum aliis ita vivas,

ut

HOMO POLITICVS,

HOC EST:

CONSILIARIVS

NOVVS, OFFICIARIVS ET AVLICVS, SECVNDVM HODIERNAM PRAXIN,

AUCTORE

PACIFICO A LAPIDE.

EDITIO SECUNDA, AUCTIOR ET EMENDATIOR.

Cui

ACCESSERUNT MONITA PRIVATA SOCIETATIS JESU.





COSMOPOLI,

M DC LXVIII.



L. S.

AMiciſſime Lector; Quia Priorem Mei POLITICI Editionem non ingratam fuiſſe, ex diſtractione omnium ferè Exemplarium perſpexeram, è quibus aliquot ipſemet Viri magni nominis communicaveram, facili negotio ad præſentem denuò editionem animum adjeci, quam in aliquibus locis auctiorem, & in §§. diſtinctam, jam tibi ſiſto, ut inde meum, ad promovendum Bonum Publicum, ſtudium ediſcas. Adjeci Monita Privata Patrum Societatis JESU, rationem inſtituti, Procemium iis præfixum, te edocebit. Interim magno tuo fructu hoc meo conatu fruere, & vale.

S. Gregorius M. Papa l. 10. Moral. Cap. 16. in Cap. 12. Job.

Hujus mundi ſapientia eſt, cor machinationibus tegere, ſenſum verbis velare, quæ falſa ſunt, vera oſtendere; quæ vera ſunt, falſa demonſtrare. Hæc nimirum prudentia uſu à juvenibus ſcitur, hæc à pueris pretio diſcitur: hanc qui ſciunt, cæteros deſpiciendo ſuperbiunt: hanc qui neſciunt, ſubjecti & timidi in aliis mirantur: quia ab eis hæc eadem duplicitatis iniquitas, nomine palliata diligitur, dum mentis perverſitas, urbanitas vocatur. Hæc ſibi obſequentibus præcipit honorum culmina quærere, adeptâ temporalis gloriæ vanitate gaudere, irrogata ab alijs mala multiplicius reddere; cum vires ſuppetunt, nullis reſiſtentibus cedere; cum virtutis poſſibilitas deeſt, quidquid explere per malitiam non valent, hoc in pacifica bonitate ſimulare.

Brevis

Brevis Admonitio ad Lectorem.

CUm jamjam Hominis Politici secundam Editionem promovere destinassem, incidi fortè in Aristarchi cujusdam Disputationem, in Celeberrima Treboccorum Academia nuperrimè habitam, ubi hanc quæstionem incidenter tangit: An deceat aut expediat ipsum Principem jus dicere? Negativam me simpliciter in scripto, cui titulus, Homo Politicus pag. 19. defendere, impudentissimè calumniatur; Cum tamen nunquam hoc somniassem: Ego loquor de Praxi, & ostendo, quod sic hodie fiat, ille mentem meam sinistrè interpretatur, & quod de facto ibi disserui, quasi de Jure id fieri proposuissem, vanè & imprudenter cornicatur. Vocat me Scriptorem pessimum, & ille pessimè mecum agit, dum scopum meum pessimè pervertit: Ait me pestiferis meis Consiliis juventutem non tàm inficere quàm interficere; proh lepidum (verius dixissem insipidum) caput! Si distinguere factum seu praxin à jure scivisses, melius docuisses. Ego scriptum illud non ad juris sed praxeos ideam adornavi, non quòd ibi relata probarem, sed quòd verè à Pseudo-Politicis (qui tamen veri Politici vocari & haberi volunt) sic hodiè fieri ostenderem; Si tantùm statim in primo limine, titulum Scripto Præfixum accuratè respexisses & ritè ponderasses, in hanc perversæ, variæ, & falsæ Citationis dementiam non prolapsus fuisses. Sed quid pluribus erga imperitum Censorem verbis opus? Sufficiat, me ibidem dicta non docendi, verùm malas hasce artes detegendi, animo proposuisse; sic quidem, ut, sicut thyriaca è variis animalculorum venenatorum generibus à Medicis præparatur, & tamen optimi, contra venenum Antidoti instar servit, perspectis hisce flagitiis, technis & fraudibus, quibus maxima Politicorum pars hodiè in perniciem Respubl. utitur, honesti juvenes illas vitare discant, à similibus perpetrandis abhorreant, & adultiores facti, per alia licita honestaq; media honorum scalam ascendere curent. Hæc Benevole Lector, in antecessum brevibus Te monere volui, debui. Vale.

De Avtodikia. Artic. 2. § 20.

HOMO POLITICVS,

Hoc est:

CONSILIARIVS NOVVS,

OFFICIARIUS ET AULICUS,

secundum hodiernam Praxin.

§. 1.

PLurimi sunt Authores, qui Hominem Politicum hujus seculi variis informant Præceptis, imò prolixi nimis, infinitis Præceptionibus onerant, quorum tamen pauci, pro temporum & ingenii ratione, aliquid præstiterunt, verùm, qui perfectum formârint formentque, præsertim ad singulas Respubl. meo judicio, adhuc nullus extitit. Proinde operæ pretium existimavi, partim ex meo ingenio inventa, aliorum moribus actionibusque probata, partim ex Jesuitarum placitis, moribus, consiliis, monitis, principiis, & denique ex Veterum & nostri seculi Exemplis hausta Præcepta, quâ poterit fieri brevitate & Compendio, in chartam conjicere, unde conspici possit, quibus mediis hodiè Politici ad honorum & dignitatis culmen ascendant, & ad divitiarum ingentes thesauros, Regum deniq; & Principum gratiam aspirent.

§. 2.

Principiò naturæ quisque suæ, virium & ingenii facultates novisse debet, & probè expendere, ad quæ quis aptus sit vel ineptus, & naturæ semina sequenda potiùs, quàm illis adversando, frustra opera & ætas insumenda. Si tamen non prorsus stupidi sis ingenii, eligas Præceptores & Moderatores, conformandis moribus hujus seculi, & informando animo, aptos, fidos & diligentes, illis te, tua studia, vitamque totam credas, illos secteris, mores æmuleris, inque omnibus te accommodes: Inde fiet ut plus tibi credant, plus diligentiæ in te conferant, sibique, si non pares, æmulos tamen,

for-

formare conentur. Illi sunt hoc tempore Lojoliticæ sive Jesuiticæ Societatis Religiosi, qui, dici non potest, quâ arte, quâ industriâ, in omni doctrinâ, & ad præsentis temporis rationem, mores formare possint; neque te Religio avocet, persuasio quædam est, & superstitiosa Pietas, imò pura puta deceptio, quæ homini Politico, si finem suum assequi vult, non magni æstimanda, quod optimè perpendens, nescio quis, scripsit, se non credere, quòd ex bono Christiano possit fieri bonus Imperator, nec quòd Imperator possit esse bonus Christianus, addo, nec Consiliarius, nec Aulicus, nec Officiarius Bonus is, secundum hodiernam Praxin, esse potest, qui bonus vult esse Christianus.

Nam Religio hodie inane nomen est,
——— Prætereaq; nihil.

Cujus rei illustre testimonium Princeps ille, è numero Protestantium, moribundus, meo Politico reliquit; cùm enim horâ ante mortem ultimâ Concionator Aulicus Ordinarius, duobus aut tribus aliis comitatus, ad illum accessisset, appropinquansque lecto, nomine totius Ecclesiæ conjurasset, Testimonium Religionis suæ, quam profiteretur, aliquod daret, ac formulam Confessionis fidei coram circumstantibus ederet, in hanc finem addens, ut ultima tanti Principis verba in memoria hominum conserventur, & authoritatem concilient opinioni, quam sectarus esset. Subridens paululum huic petitioni ille, mox respondebat, Domine, Mi Amice, doleo, quòd non possim satisfacere in eo, quod petiisti, vides enim, me jam in tali statu non esse, ubi longè differere, aut subtilem fidei meæ rationem reddere concessum, paucis ideò dicam verbis; Credo duo & duo esse quatuor, ac quatuor ac quatuor octo, addens, Dominus iste, monstrans digitó Mathematicum quendam tum præsentem, cætera meæ fidei puncta melius tibi declarare poterit. Hæc fuit Religio verè Politica; sic hodiè cum ea luditur; aliter nempe ore, aliter corde credendum ad modum Religiosorum quorundam in Hispania, qui per viginti Annos celebrantes SS. Officium Missæ, & publicè docentes Theologiam, tandem extremâ vitæ horulâ appropinquante, manifestabant se esse Judæos, quoad fidem, sed quoad professionem, Christianos. Vel ut alius in Synodo Hispa-

Socrate Chrestien du Sr. Balzac. p.126.

Sr. de Balzac dans l'Apologie contre le Docteur Louva.in p.191.

Sr. de Bal-zac. ibid. pag. 192. Hispaniæ Ordinum Religiosorum Generali, per annos quindecim se Religiosum, sed tantùm per quinque ex iis Christianum se esse, ingenuè fassus fertur. Neque certè (quod Principio notandum) uni Religioni seu Catholicæ, seu Lutheranæ, seu Calvinianæ, sive qualiscunque fiet, se mancipare ita convenit ut ei adhæreas tenaciter, sed ut in omnibus eam simulare dissimulareque (sicut temporis, Rei & Loci necessitas ex tua utilitate voluerit) semper discas: Meus Pontifex, tuus Pontifex; Meus Lutherus, tuus Lutherus, Meus Calvinus, tuus Calvinus esto: Omnes siquidem Religiones, à pura mente profectæ, intentionemque & conatum colendi DEI habentes, ei gratæ sunt, ac per omnes illas Salus æterna speranda: prout hoc libertinorum axioma, quidam magni nominis Princeps, piè defendit. Eorum itaque Lojolitarum ductum in moribus, artibus, imò in omnibus rebus sequere.

§. 3.

Ad annos discretionis perveniens, elige, quid ingenio congruum, quid proposito studio sit conveniens; & tum initium à Præceptorum Politicorum libris sumendum, inprimis Machiavelli, famosissimi illius Politici Itali, Princeps, ut & reliqua ejus scripta iterum iterumque perlegenda, qui Consilia Politico & Consiliario Principis necessaria, inter omnes Politicos optimè suggerit. Contra quem, quotquot Antagonistæ insurrexerunt, & ejus libros refutare aggressi sunt, omnes tamen in cassum laborarunt, ac melius fecissent si tacuissent, sicque crassa eorum, in moderna Politices praxi, ignorantia non apparuisset. Ut porrò ab ineunte ætate semper singularia præ reliquis discas, quòd in aliis non item inveniatur; idque in sermone, gestibus, arte, nempe ut linguam formes promptissimam, inque omnibus expeditissimam, ut vocis gravitati adsuescas, idque si à natura non datum, Demosthenis celeberrimi Græciæ Oratoris, exemplô corrigas, ut alios imiteris: Verum enim est illud vetus verbum, Lupum quidem auribus haud teneri posse, populum autem inde maximè duci oportere, & præclare quidam ait: nemo magnam Potentiam sine Eloquentia est assecutus. Neque pudeat affectare doctiores, donec in mores proprios abeas, qui cum gravitate juncti, humanitatis quandam speciem simulatam

Fr. de Marsela-er Legat. l.1. differt. 25.

præ-

præ se ferant, ore quidem & vultu, ut subridens quasi intuearis & alloquaris omnes, ut gestibus & aliàs illis seriò velle videaris. Alcibiadem, Historiæ tradunt, tanta fuisse animi facilitate, ut diversis contrariisque moribus facilè consuesceret, & veluti Polypus ad subjecti soli speciem, faciem coloremque mutaret; adeò ut secundum diversos populos, ad quos diverrebatur, variaret & mores, plane ita, ut illic natus educatusque videretur. Nam cum in Lacedæmonia versaretur, gravis & severus esse videbatur, manuque strenuus, in Jonia autem iners, delicatus ac mollis, voluptatibus pro more gentis diffluebat: sed cùm hæc sint omnia vulgata, plura non addo. *Aelian. & Plutarch. in vit. Alcib.*

§. 4.

In hoc verò cardo rei consistit, ut artem excolas: non tamen ut Mediolanensis ille Medicus, qui nuda possessione scientiæ contentus non investigabat particulariter in Medicina curationem ægrotorum. Rarissimi enim sunt, qui nullis imbuti literis ac artibus, naturæ tantùm ductu ad culmen honoris adspirare potuerunt. Unicum in Galliis exemplum in Henrico Mommorancio Connestabili, & in Septimaniâ Prorege annotavit insignis nostri seculi Historicus: At nec omitti debet, inquit, non modo Mommorancium nescivisse literas, sed ne prima quidem Elementa: ut portento haud absimile videri possit, virum litterarum penitus rudem, solo naturæ genio, summum rerum apicem assequutum, quem ambiguis temporibus tenuit, tantâ laude, ut Aulicorum ætatis suæ Princeps fuerit, seu natales, seu fortunam attendas, aut dotes animi. Hæc ille. Iccircò primò quidem omnigenam tibi scientiam artium quarumvis, si non exquisitam & distinctam, tamen talem qualem & confusam compares, ut de omni scibili differere possis. Pudeat enim Ministrum, se ne mediocriter quidem eruditione esse præditum; nam quid juvat se sola barba ostentare virum, & solo officii nomine velle gloriari? quomodo navem is gubernabit, qui artem gubernandi non perdidicit? quis Rempubl rectè regere poterit, qui regendi disciplinam non hausit? quomodo studiorum promovebit Commercia, qui nunquam in iis se exercuit? qui cum Anthæo Scytharum Rege hinnitum equi libentiùs, quàm musicum instrumentum audit? An laudem sibi acquisivisse putas Can- *Aristippo de Mr. Balzac. p. 96.* *B. Gramond. Histor. Gall. l. 1. p. m. 52. add. Io. de Bussier Hist. Fr. l. 23. p. 493.*

Cancellarium illum Galliæ, quem literarum adeò rudem fuisse ajunt, ut Senecam Juris Canonici Doctorem esse, inque libris suis de Beneficiis, solidissimè de Materiis Beneficialibus tractasse eum crediderit; illumque à quodam sic persuasum Moream seu Peloponesum pro Regione Maurorum habuisse, ac aliquando totum consumpsisse diem in Tabulis Geographicis (chartas vulgo appellant) evolvendis, ut Aristocratiæ & Democratiæ situm, quas Dalmatiæ & Croatiæ instar inibi se reperire posse putabat, cognosceret. Proh pudorem! Ut porrò varias addiscas linguas, pro ratione nostri seculi valentes, Hispanicam nimirum, Italicam, at inprimis Gallicam, quæ totum jam verè pervagatur orbem; ne, quod præfato Cancellario contigit, ignorantiam tuam ipse prodere cogaris, cùm enim Legati Polonij Regni Parisios venissent, Civilitatem suam latinò sermone coram illo declarantes, se excusari petiit, quòd iis non responderet, sibi enim nunquam curæ fuisse, præter patriam Gallicam, aliam addiscere linguam. Si verò ingenii viam præcludit stupiditas, medicamentis corrigere nec pudeat, nec Religio tibi sit ad artes confugere alias, puta Memorativam, Lullisticam, Cabalisticam minorem & majorem, Magiam, Doctrinam Spirituum & Conjurationum Arcana, & similes, quarum benefició, si fidos præsertim Præceptores, quales sunt ignei Ignatii, Lojolæ, Hispani, Socii ac Discipuli moderni, nactus fueris, quasvis non saltem artes comprehendere perfectè, sed ad abstrusiora naturæ, arcana Consiliorum, prævisos rerum eventus, pervenire poteris; imò hoc inde habebis beneficii, ut, quod natura tibi denegavit prorsus, hæ artes suppleant, ut nec ingenio, nec arte, nec quidquid inter homines magnum & singulare habetur, te quisquam major sit futurus.

Aristippe de Mr. Balzac. p. 96.

Aristippe de Mr. Balzac. p. 68.

§. 5.

Hisce artibus instructo summâ curâ videndum, qui mores nostro Politico conveniant ad hæc tempora. Continentem habeas linguam, nihil effutias temerè, secundum illud.

Ne gesticulatim loquere, aut caput manusq;
Jacta nimis, hac optimè dicta devenustant.
Sed nec sic, quasi cum alio levis loquare
Species aliorsum: tua frons sit apta fronti,
Sed utrumque modesti dabis, alterna reponens.

Io. à Chokier Thesaur. Pol. Aphor. part. 2. l. 3. disc. 12.

Neque

Neque quicquid in buccam venit garrula lingua prodat; tacuisse enim neminem pœnituit, dixisse permultos. Pythagoræ insiste vestigiis, cui maximè probatum fuit silentium, & eorum quæ dicere nihil attineret, taciturnitas. Neque verbum ullum à te temerariò excidat, quod non vel aliis placere, vel tibi commodo esse poterit. Neque tu tam veri tenax sis, ut non fingere tanquam aranea artificiose, quod ad tuam faciat utilitatem & institutum tempestivè discas: hoc optimè perpendens Gallus quidam scripsit; *Le fondement de cette opinion est qu'encore que le mensonge soit defendu, & que ce soit une chose indigne de l'homme, & une vilaine perspective en sa conduite, que le dehors contradise son interieur, que la langue demente le Coeur, & que la Parole trahisse la Pensée dont elle est l'image & le Caractere; si est ce que Personne n'est obligè de manifester toujours les sentimens. D'estaller tout ce qu'il a dans l'ame: de faire du premier venu son confesseur & son juge; & il est certain que Dieu nous à aussi bien recommendè le silence pour taire le veritez dangereuses, qu'il nous à donne le parler pour publier les necessaires.* Ac si juxta mentem Platonis crebro mendacio & fraude imperantes uti oportet ad commodum subditorum, cur non æquè Politicus noster in commodum suum privatum? Quid, quòd ex Sacra Historia constat, Tres Sanctissimos Viros simulatione usos fuisse? Abrahamum nempé ac ejus Filium Isaacum, quorum ille Saram uxorem apud Pharaonem; hic Rebeccam uxorem apud Abimelechum, Reges Ægypti & Palæstinorum in Gerar, Sorores suas esse dixerunt: Et Regem Davidem (qui Vir secundum cor DEI à Spiritu S. nominatur) dum amentiam apud Achin Regem Geth callidè simulabat; Nec tamen unum ex iis à DEO ideò reprehensum aut punitum, divinæ Literæ asserunt: imo inveniuntur inter Doctores Ecclesiæ, qui primum excusant, ajunt enim, quòd solùm necessitate compulsus Abraham ingressus fuerit Ægyptum, & confidens in DEO suo, quòd ipsum in omnibus protegeret, & pudicitiam suæ uxoris conservaret usus humanâ prudentiâ rogaverit ipsam, ut diceret se esse sororem suam, quod verum erat, nam in Scripturâ cognati carne, dicuntur Fratres & Sorores, quo sensu etiam alibi

disc. 14.

Silhon en Ministre d'Estat. l. 2. Part. 1. disc. 14.

Ex Plat. l. 2. de LL. Arn. Clapmar. de Arcan Rerum Publ. l. 1. c. 6.

Gen. 12. & 26.

Act. 13. 22. 1. Reg. 21.

R. P. F. Philippus à SS. Trinitate Carmelit. Discalc. Definitor Generalis in Gener. Chronol.

Mundip. 132 *edit. Lugdun.* 1663. alibi Abram vocat Loth suum fratrem; non autem rogaverit, ut diceret, & se non esse uxorem ipsius, quod falsum fuisset; Unde ex duabus veritatibus voluit unam manifestare, aliam tacere. Cur ergo meo Politico vitio detur? Nam, ut quidam non ineptè canit.

Hac est Aularum nova lex, ne dicere verum
audeat, & falsum dicere ne metuat.
Dissimula simula, quoties occasio poscit,
Moribus ut morem, temporibusq; geras.
Temporibus qui ritè sapis, servire memento
omnibus, ut tempus serviat omne tibi.

§. 6.

Aliorum etiam dicta & facta ne facile prodas, nisi quando nocere poteris illis, vel prodesse, qui mutuo tibi officio paria facere possint. Et cum opinione homines citius quam vero moveantur, ita mores formandi, ut tibi prosint, aliis sint accepti. Non aliter autem prodesse possunt, nisi cum sententiam tuam & vera Consilia credis nemini; sed simulare dissimulareque maturè discas: Hanc quippe virtutem (quæ Aulicæ Prudentiæ quasi centrum est) sibi familiarem reddere, noster Politicus enixissimè laboret, si enim ea in privatis contractibus locum habet, *l.* 1. *D. de Dolo Malo.* uti ICtus ait, posse sine dolo malo aliud agi, aliud simulari, quanto magis in Politicis? Hinc perbellè Romanæ Eloquentiæ parens: *Cic. l.* 10. *Ep.* 9. ut ad effectum, ait, consiliorum suorum veniant, multa oportet simulent inviti, dissimulentque cum dolore. Legimus Tiberi- *Tac. A.* 1. 4. 4. um, ut iram, simulationem, secretasque libidines meditari, iisque se adsuefacere posset, Rhodum in exilium decessisse. Ita tu discede in animum tuum, affectusque tuos omnes cohibere, falsa simulare, libidinemque occultare disce. Nihil tam nocet homini Politico nocuitque, quam apertus animus, lingua veri *Val. Max. l.* 2. *c.* 2. prodiga, consiliorumque detectrix; Cum enim taciturnitas tutissimum rerum administrandarum vinculum dicatur, & rectè *Q. Curt. l.* 4. *c.* 49. Curtius sentiat, neminem res graves sustinere posse, cui tacere grave. Inde si non alterius, solùm tui commodi causâ, taciturnitatis laudem habeas. Benè Poeta.

Eximia

Eximia est virtus, præstare silentia rebus:
At contra gravis est culpa, tacenda loqui.

Et alius quidam scite dixit, quanquam non omnia & in omnibus ad nostrum scopum;

Commissa cui sunt verba, ceu depositum,
Si retegit, est iniquus, aut est garrulus.
Si spe lucri, est iniquus: hac sine garrulus,
Censendus autem uterq; pariter improbus.

Ex Anaxandro Comico Chokie Thes. Pol. Aph. p.1. l. 3. c. 15.

Magis necessaria sæpius est scientia tacendi, quàm loquendi: hucque possunt accommodari, quæ subtilis ille Italus de Secretariis Principum prodidit; Ego, ait, edoctus sum, nullum Secretarium (Politicum, Aulicum, Consiliarium) secus ac alii existimant, esse laudandum, qui lingua promptus est, sed qui benè tacere novit. Itaque caveas ne varias res crebrò sciscitaris ab aliis, tuum commodum præsertim nil attinentes; hinc enim suspicio garrulitatis apud prudentes oritur, secundum illud; percontatorem fugito; nam garrulus idem est; in omnibus quippe auram cujusvis frugi Politicus captare debet. Non verò Taciturnitati studeas, ut aliis potius quàm tibi prosis, sed ut tibi nec noceas. Itaque si quid prolatum velis, unde emolumentum venari possis, arte id per alios arcanorum aucupes, vel quocunque modo facias: ex eo hoc commodi habebis, ut animum eorum, quibus cum necessariò conversandum, aucuperis.

Tr. Boccal. Parnas: Ragg. 38. c. 1.

§. 7.

Cavendum certe à conversatione multorum, ut & à familiaritate nimia parium præsertim & inferiorum, à quibus tibi nil commodi, (cujus Homo Politicus studiosissimus esse debet) præter contemptum & diversorum sinistra judicia provenire possit. Hinc benè, nescio quis Aulicæ prudentiæ, hoc præceptum dedit:

Nulli te facias nimis sodalem:
Gaudebis minus: at minus dolebis.

Insignis hac in parte artifex fuit Dux ille Gallus Ecpernonius, qui rarò sui copiam faciebat vitando ex familiaritate contemptui: celabat se in ostentationem, quo major audiret. Prudentis est oblivisci neque novisse cujus nihili faciunda gratia, inquit

Entretiens de Mr. de Voiture & du Mr. Costar. p. 301. B. Gramond. Hist. Gall. l. 3. p. m. 226.

Comicus, ita de te nemo unquam judicare poterit, & tu potius aliorum, quam alii tuum, explorabis animum: quia vero verus animus tuus neutiquam alteri est detegendus, tu quidem Alexandrum VI. Pontificem maturè imiteris, qui annos 36. Cardinalis multorum Pontificum mores observans, callide in suum usum longâ experientia contulit. Ut porro speciosè jurare discas, quo alios fallendo, tu tamen omnium amorem & commodum habeas (jus jurandum enim non perdendis sed servandis rebus natum est) quod tamen caveas, ne fiat, nisi necessitate efflagitante. Lysandri hominis versuti dictum fuit; Pueros tesseris, viros juramentis decipi debere. Apage tenellam plane conscientiam Ferdinandi II. Arragoniæ Regis, qui nihil unquam quidquam tam detestabatur, quàm perjurium, quàm fallaciam, ut crebris sermonibus jactaret, malle se mori quam fœdari. Imitandos tibi propono Parthos, apud quos fides dictis promissisque nulla, nisi quatenus expedit; ac præfatum Alexandrum VI. de quo fertur, quod nihil minus præstiterit quàm jusjurandum, & tamen doli cesserint ei feliciter. Verba Magni Machiavelli, latinitate donata, non pigeat adscribere: Is (Alexander VI.) inquit, nihil quàm mortalium impostorem egit, nihil quàm ad omnem malitiam & fraudem (quo hominum genus falleret) mentem suam exercuit. Atqui reperit subjectam, quam tractaret, materiam, in asseverando autem qui magis fuerit efficax, aut qui speciosius juravit jusjurandum, vicissimque qui minus præstiterit, nemo unquam fuit: nihilo secius doli nunquam non commodè ei cesserunt. Hanc enim fallendi artem probè callebat. Hæc de Sanctissimo Salvatoris in terris Vicario Politicus. Hoc tamen facias apud inferiores, si extrema necessitas facti alicujus minus honesti, utilis tamen tibi, tui excusationem exposcat, apud eos præsertim, qui vel judices vel arbitri sint futuri (sæpe enim in vita Politica seu civili malitiosi nobis aliquid præter spem molestiæ afferunt) apud Superiores autem, ut fidem merearis, gratiam & clementiam consequaris, & omnem perfidiæ suspicionem amoveas, ac te eâ eximas. In rebus dubiis contra delatores rarius de crimine alicujus judices, quod levitatis notam habet. In omnibus autem

Plut. in Lacon.

Aen. Sylv.

Iust. l. 4.

Machiav. Princ. c. 18.

autem actionibus honori & dignitati tuæ servientibus, ut fallas alios, fallaris à nemine, diligenter attendendum: fallis autem alios, si perspectis aliorum ingeniis, moribus, arte, & conversatione, nullis neque in privatis Colloquiis, neque publicis consiliis, qui tibi nocere, quique prodesse possunt, contradicas, laudes omnes omnibus subscribas, atque in omnibus te ingenio aliorum accommodes, probeque observes hoc Distichon:

Qui fidus nullis, affabilis omnibus, omnes
Decipit, hunc primo suscipit Aula loco.

Hinc enim fit, ut animum suum tibi credant, arcana aperiant, inque secretiora Consiliorum suorum te admittant, ex quibus deinceps, quid in rē tuam sit, remotis arbitris facilè elicere potes. Si tamen aliquid agendum quod alios offendere potest, sive in privatis, illud non ipse sed per alios facias; itaque semper tibi habeas homines imprudentes, ambitiosos, nec raro seditiosos, temerarios delatores, calumniatores, exemplo duorum apud Regem Angliæ Henricum VII. Ministrorum, Empsonii & Dudleij, quorum copia facile datur, illorum opera clàm ita utaris ut magis, si quicquam actum, illorum temeritati, quam tuæ calliditati adscribant, & præsertim si ita clanculum moderatus fueris tuas actiones, ut cui tu adverseris, dubia subministrare possis consilia, eademque habeas, quæ tuis administris suggeras, ut si in adversum ceciderint, tuo arbitrio ea interpretari possis. *Fr. Bacon. Hist. Henr. VII.*

§. 8.

Ne fallaris, animum & Consilia, uti dixi, tibi serves integra, inque dictis & factis, antequam aliquid aggrediaris, omnes circumstantias probè excutias, finem maturè proponas, non gladiatorum more consilium in arena captes; nam juxta Lucianum.

Tardum Consilium longe præstantius,
Præceps autem semper habet comitem Pœnitentiam.

Sed Prudentes imiteris, qui non modo, quæ ante pedes sunt, cernunt, sed & futura prospiciunt; uno verbo, quibus cauta consilia potius cum ratione, quam prospera ex casu placent, ut cum Tacito loquar. Cave cum Ludovico XI. Gallorum Rege fortunæ quicquam tuarum actionum committas, accogita fortunatum te *Tac. H. 2. 25. 3. Comin l. 4. c. 1. de Reb. gest. Lud. XI.*

te fore nunquam, si te fortunæ committas, grandes quippe jacturas facit fortunæ jactus, & sæpè diu amata, amara fit; sed vel astu, vel simulatione, vel alia quavis arte prudens possis evadere, & finem tuum assequi: sicque soli tibi rem agis caute, nisi sis planè stupidus; res ipsa suggeret modum & rationes alios fallendi, gloriam, honorem, commodum, cum aurâ populari assequendi, paritque hæc res admirationem, si quod aliis ignotum, tu prospicere & prædicere possis.

§. 9.

Ut autem mores tui aliis sint accepti, etiam atque etiam videas, ut te superioribus sermone, gestibus accommodes, omnia simulando dissimulando ad captum, ne tu adulationis aut assentationis suspicionem incurras, præsertim apud Principes: id enim ut contemptum apud pares, ita non rarò odium tui Principis conciliat, ne facilè (ut ut assentatores in Aulis locum præcipuum obtinent) eventum rerum tuarum minime felicem experiaris, ideo vellem, ut quam diligentissime ponderares considerares que Proemium à Cajo Caligula Cæsare Adulatoribus Aulicis datum, hoc modo; quum Publius Afranius Potitus homo plebejus, stultâ quadam assentatione non modò volens, sed etiam adhibito jurejurando promisisset, si (ægrotus) Cajus convalesceret, se libenter moriturum: Quumque Afranius secundus, Vir Equestris ordinis, dixisset, se velle ob eandem causam in singulare certamen descendere, ambos pro pecuniâ, quam se speraverant accepturos, quod vitam pro Cajo effundere voluissent, coegit (Cæsar) promissa facere, ne pejerarent. Severa castigatio! Ergo adulationem ceu pestem fuge. Cumque hodiè nulli sint in Aulis Principum acceptiores, nulli feliciores; parasitis illis enim licet intrare, sedere, loqui, illis cibus de Principum mensa datur, cubicula & arcæ etiam Principum patent, illis creditur, mos geritur, illis benè aut malè, prout voluerint, de unoquoque loqui licet; grata denique sunt omnia quæ dicunt aut faciunt, illis plurima Principes largiuntur, ij verò, quibus onus gubernationis incumbit, vix admittantur, raroq; remunerationem laborum accipiant, cum tamen virtutum proemia tribui merentibus

Dion. in vit. C. Calig.

Caspar. Ens Epidorp. l. 1. p. 39.

tibus conveniat, ne tamen dedecus pro gloria præmium assentatorum habeas, caute Principi assentiaris, ne videaris esse ex eorum numero, qui tàm noctu quàm interdiu permulcent aures suis Principibus, nec tantùm applaudunt dictis eorum singulis, sed & prolixè eos ornant laudibus, quos tamen execrantur taciti, quantumvis fausta ominando propalam, ut Philo adulatores assentatoresque aulicos depingit: *Philo. libr. de Migrat. Abrah.*

§. 10.

Non perpetuò Principem tanquam umbram secteris, neque prorsus conversationem ejus fugias, sed cum ipso tanquam cum igne age, à quo non adeò abes, ut illius calore foveri non possis; nec sic illi appropinquas, ut illius incendio ipse conflagres. Verùm probè observes si quando curis vacuus Princeps ad lætitiam solvitur, tùm autem seria (non molesta) afferens, animo ejus facetiis singularibus (non tamen scurrilibus, vel sordidis, aut asperis, quæ acrem memoriam relinquunt) cum gravitate quadam indulgeas. *Tac. A. 15. 6. 8. 4.* Itaque non minus facetiarum, historiarum, quàm sapientum consiliorum copia pro temporum diversitate institutum oportet esse Politicum. Pocula etiam, si quando necessitas efflagitet, non detrectes, more nostri seculi laudabiliter ferè ubiq; recepto: imò aliquamdiu Principem largius invites, tum præsertim, quando aliquid commodi speras (quod Lojoliticæ Societati solenne medium & arcanum status, hamusque ditandorum Collegiorum hactenus fuit) sicque assentationis vitium declinans optimè cum Principe conversaberis. Vulgaris Politica præcipit, ut Princeps Ministrorum suorum ingenia noscat, secundum illud:

Principis est Virtus maxima nosse suos.

Sed tu cave animum tuum exploret, versutus sis atque versatilis, cautè tamen in quamvis partem tanquam rota figularis, vafer & involutus, addo ac astutus, ut tu potius ejus conversatione probè agnoscas ingenium, antequam audacter cum eo converseris; vide sis ut tàm peritus fias in ingenio & moribus Principis, quàm in ejus negotiis, exemplo Sejani, qui Tiberium Imperatorem variis artibus devinxit adeò, ut obscurum adversum alios, sibi uni incautum intectumque efficeret. *Tac. A. 4.* De reliquis cum aliis ita vivas,

ut summa humanitas in vultu, verbis, gestibus appareat, omnibus te promptum & paratum offeras, studiis, servitiis, ut ante dictum & sæpè dicendum.

§. 11.

Cum autem homines studiosi sint plerumque proprii commodi, neque necesse est, ut adjuves omnes, in contemptum enim facilè incurrere potes, si quid denegandum, vel promissum non præstandum: itaque cave ne in promissis tuis more Gallo-Germanorum ita sis prodigus aut largus & immodicus, ut facultas factum præcludat (quod levitatis suspicionem adferens odii causa sæpè existit) sed ita modereris affectum benevolum, ut de te magis expectent futura, quàm petant præsentia. Propono hac in parte tibi imitandum Atticum, de quo sic Author: Quicquid rogabatur, religiosè promittebat: quod non liberale sed leve arbitrabatur, polliceri quod præstari non posset; Et Sigismundum Imperatorem, à quo cum miles quidam veteranus, nescio quid sibi promissum efflagitaret, Imperator verò responderet, magnum esse quod postularet, tum miles, olim tibi, ô Imperator, id promittere tibi non licuit, jam promissum negare non licet. Quod si, ait Imperator, alterutrum patiundum est, sanè rei, quàm existimationis jacturam facere malo. Rerum Gallicarum habenas moderans Luynæus apprimè hoc in passu meum instruere potest Politicum: hic enim nascente fortunâ Comiti Ludæo, Ducis Aurelianensis (Gastonis fratris Ludovici XIII. R.G.) informationi admoto, viro prosapia illustri sæpe promiserat (si aliquando rerum potiretur) procuraturum se res Comitis, effecturumque in Ducatum erigeretur Comitatus Ludensis: At enim nihil promissis concessum: negatur Comiti Ducem esse: fortassis Luynæus non è re suâ esse prævidit, si promissa impleret. Insta, mi Politice, & sequere.

Tac. II. 3. 58. 5. — *Corn. Nep. in Attic.* — *Caspar. Ens. Epidorp. l. 2. p. 211.* — *B. Gramond. Hist. Gall. l. 3. p. 234.*

§. 12.

Moribus formatis videndum tibi est, qualem vitæ velis eligere conditionem, & in quo loco: Quum enim vita nostra, maxime Politica, non consistat in speculatione, sed actum requirat, stolidè faciunt, qui ætatem in vita domestica agunt. Proinde tanquam

tanquam meta vitæ conditio proponenda, non minus qualis illa ſit quàm quo loco ineunda: quæ facile eligi poteſt ex naturæ inclinatione & loci occaſione, in quo victurus ſis. Ex ſinglis deinde Præceptis Politicis (Doctrina enim politica, ut eſt ampliſſima omnium Gentium, ita ſingularium diverſiſsima: ut ſtolidum ſit omnium Rerumpubl. perſcrutari formam Politicam) ea eligere debes, quæ neceſsaria ſint ad tuam conditionem & Reipubl. ſtatum, ubi vitam acturus ſis, cujus omnes Articulos perſcrutari, & tanquam tuos digitos tibi reddere familiares ſatages. Conſilia, facta, rerum eventus, & talia, non quæ ſunt in utilitatem publicam facientia, (id enim quilibet facit, qui ſe & ſuos negligit) ſed tuis commodis & fortunis præcipue ſervientia obſervabis, ut ea in praxin deducere poſſis: neque, quibus hæc fieri poſsint rationibus, cures, modò aliquam honeſti ſpeciem præſeferant, nec multum labores, ſi in eorum vitiorum infamiam incurras, ſine quibus, ſcopum tuum non facile aſsequi poſsis, ut de Principibus ait Machiavellus. Cumque nulla ſit fueritque Respubl. quæ non Viros habuerit, vel Authoritate præclaros, vel divitiis abundantes, & uno vel utroque nomine Principibus acceptos, hos tibi ad imitandum proponas, ex illorum factis & Conſiliis, quid in rem tuam ſit, promas, neque id præcipue æſtimes, quid laudis apud Vulgum obtinuerint, ſed quid divitiarum & potentiæ reliquerint, quò Conſilia ſua direxerint, quem vitæ actionumque finem & ſcopum habuerint, ut matute in omnibus, quæ proſunt, imitari, quæ noceant, fugere & declinare diſcas. Deliberandum porrò tibi an ſerviendo vitam tranſigere, an aliquando alios tibi ſervituros; hoc eſt, an ſtatū, quo victurus ſis, conſervare vel mutare, & Regiminis partem vendicare cupias: in utroque modum monſtrabo.

vid. Ch. Beſod. differt. de Arc. Rerumpubl. c. 1. n. 4.

§. 13.

Loco ubi officium tuum elocare velis, prima cura animum ſubeat, ut te illi adjungas, cui ſuccedere velis, ſi ſit apud Principem in gratia & authoritate Populi: ſin autem nec gratiâ nec authoritate valet, illum, qui primas tenet, (ſi præſertim videas inter illos occulta eſse diffidia, ut alter alterum cupiat ſuppreſſum) omnibus ſecteris ſtudiis, affectus ejus foveas, promoveas, qua poſsis

arte frigidum suffundas, ut altero suppresso succedere possis. Prior tamen modus crebrior est, (non raro & uterque modus conjungitur, quod exemplis non longè petitis posset comprobari, nisi odiosa forent) cum semper reperiantur homines docti, simplices & pii, qui literatos amant, illis præcipuè delectantur, qui literis & moribus præclari, & rationibus præclare instructi, ad omnia servitia officiosi, & templo, & foro se applicare possunt; horum tu observes, & mores, & actiones, & consilia omnia, ut omnibus ad nutum te accommodare possis, donec favorem occupes; & promotionis spem habeas. Ubi meo Consilio tibi cujuslibet conditionis officium nullum detrectandum est; ita tamen ut ad altiora adspirandi non præcludatur aditus.

§. 14.

Primum honoris gradum nactus, cum officio ratio familiaritatem aliorum exposcat, in ea ita te temperes, ne aliis ex tuo ore sapere videri velis, neque consiliis, & votis aliorum semper contradicas, aut apertè te opponas: prius arrogantiam, posterius odium apportare facile poterit: sed omnia Consilia votaque repetitâ laude approbes, secundum illud; ais, ajo, negas, nego; ne omnem auctoritatem crebris contradictionibus (ut loquitur Tacitus) destruas. Si tamen tibi adversentur, in tuum sensum commodâ explicatione flectas, ut tuum subjiciens, videaris habere aliquid reconditæ prudentiæ, quod alii in te desiderent: hinc auctoritatis & gratiæ affectus sequuntur; cum præsertim in conversatione privatâ humanitatem singularem simules, ab amicitia intima alienus, ac usitato fraternitatis titulo in ore, quem tu cave in animum dimittas: cum non sit Politici, contra suum commodum & honorem alicui præter verba fidum præstare obsequium, aut animi recondita detegere. Quo aliquantum observato, interea observandi tibi potentiorum & primariorum familiarium mutuæ amicitiæ & affectus, vel multorum in unum alterumve, cujus tu præsertim ambis dignitatem & officium, odia. Id videas, cui tandem in iis quæ tibi tuoque honori inserviunt, abstrusiora credere, & finem quem propositum habes, eorum consilio ac auxilio assequi possis.

Tac. A. 14. 42.

§. 15.

§. 15.

Cum autem hominis natura planè sit Politica, quæ alterius ope egens ex eo vinculum sibi quærat, & nanciscatur, neque ulli unquam sit fidendum; itaque etiam atque etiam videas, ubi affinitatis jure aut matrimonio ad secretiora affectus admittaris, tum omnibus modis laborandum, ut vel filiam, vel illius agnatam ducas, cujus familia apud Principem fuerit, sitque in gratiâ, sit ampla & potens, qui vel ipsi, vel per alios te non promoveant (id enim est abjecti animi) sed tu conatus eorum juvare videaris: per istiusmodi affinitatem enim multos tibi cognatos amicosq; conciliare potes, ut Livius ait, de Servio: Hinc ille scitè dixit; *Liv. l. 1.* Matrimonium est ad majora nitenti decus ac robur. Cumque *Tac. Agr. 6. 1.* jam ante tibi fuerit notus in hunc vel illum animus, non quod tu velis tui promovendi, sed ulciscendi illius injuriam gratiâ, hunc remotum omnia agas, ita tamen, ut, affectum tuum sartum tectum erga illum retinens, nihil à pristina humanitate discessisse videaris: si quid controversiarum inter illos ortum, coràm si non excusare poßis, culpes, deplores, nullius te participem simules, & ita animum explóres, sique in suspicione fueris, tum demum locus erit, ut jurejurando exquisitissimo te purges, quo homines commoti abhorreant quicquam mali de te credere, præsumere, aut suspicari. Non desines autem aliis consilia subministrare occulta, ut illi per suos (quos tu apud eum instimules) te ignorante, persecutionis & oppressionis apud Principem semina spargant, odium illius excitent, ut causæ sint removendi & ejiciendi ab officio: ne verò suspicio apud alios, qui multum præstare posſint, oriatur, unde periculi quicquam metuendum, non modo juramento privato te purges, inscio te omnia eſse facta, verum & officium detrectes cum Tiberio, qui, non occultè Matris artibus *Vid. Dion.* & paucorum consiliis imperium ambiret, ita moderatus est *l. 57. Tac. A.* omnia, ut oblatum magis respuere, quam desideratum acceptare *l. 13. 5.* videretur. Quod si minus tutum videtur, hoc age, ut vel dejiciatur si posſibile est: prout Luynæus æmuli sui Arnousii Jesuitæ *B. Gramond.* (quem Regis Galliæ Ludovici XIII. conscientiæ nuper admoverat) affectati in aula rerum imperii suspecti secessum procurasse *H. G. l. 11. p. 516.*

ſcribitur: vel cum gratia tanquam emeritus dimittatur: vel quidem in officio conſervetur, te tamen adjuncto; vel idem ad alia promoveatur, ut Tiberius Germanicum ad alia ac alia officia promoviſse legitur. Jnde Hiſtoricus ait: Tiberius ſpecie componendi orientis Germanicum dolo ſimul & caſibus objectare deſtinavit. Otho ſpecie legationis in Luſitaniam ſeponebatur. Mucianus in Secretum Aſiæ repoſitus eſt. Hoc modo Theodorus Styppiota Conſiliarius Manuelis Comneni, Imperatoris Conſtantinopolitani rem aggreſſus, ſolus in gubernatione Jmperii apud Cæſarem omnia adminiſtravit: nam Collega Johanni Hagio-Theodoritæ, ejusdem Cæſaris Conſiliario, ſolers adjunctus, ijs dignitatibus non contentus, ad ſummum faſtigium plenis velis ferebatur. Oblatâ igitur opportunitate diſſidiorum inter Virum Nobilem, Michaelem Palæologum & Joſephum Balſamenum, cui Hagio-Theodoritæ ſoror nupta erat, Conſilium ſuum urget ac Hagio-Theodoritam è Regia, tanquam è cœleſti ſpecula, in extremum angulum Præturæ Græciæ & Peloponneſi exigit, ad Provincias eas ritè conſtituendas, eorumque virorum diſſidia dirimenda. Cæterum Johanne iter adhuc adornante, fortuna diſceſſa ejus, non expectato ad Styppiotam tranſiit; eumque cupidè & familiariter amplexa, ad omnes dignitatum gradus pro temporibus evexit, & gloriâ gloriam cumulavit. Si vero & hoc commodè fieri non poteſt, tu ipſe quam diligentiſſimè attende tempus, quo vel propter morbum vel legationem, vel aliud aliquod negotium ab aula abſens eſt, tum incipe ejus ruinam apud Principem operari nocte dieque, primum inſinuatâ diffidentiâ, exin odio, uti arbiter rerum Gallicarum, Luynæus, æmuli ſui Mareſchalli Ancrei caſum quàm feliciſſimè procuraſſe, ac ſibi Primarii miniſtri munus apud defunctum Regem Ludovicum XIII. ſeu juſtum acquiſiviſſe fertur.

Tac. A.2.5.1. *Tac. A. 13. 46,5.* *Tac. H. 1. 10,2.* *Nicet. Choniat. in vit. Manuel. Comn. T. V. Hiſt. Auguſt. p. 534.* *B. Gramond. H. G. l. 2. p. 156. Io. de Buſsier H. Fr. l. 24. p. 500.*

§. 16.

Hoc in contrahendo matrimonio inſerendum duxi neceſſarium, ut conjugem ducas tuæ naturæ tuisque moribus, quantum fieri poteſt (quod tuis artibus, quæ raro fallunt, explores) conformem, taciturnam, quam formare tuarum actionum adjutricem

tricem (exemplo Mareſchalli in Gallia Ancræi, qui per Galigagam uxorem Reginæ percharam, familiæ ſuæ augmentum, primosque in aula favores ſibi acquiſiviſſe traditur) & cui tuto credere ac fidere poſſis; ne, quod Fabio Maximo evenit, garrulitas Uxoris, Secretorum conſciæ, tibi afferat necem vel periculum ſaltem: digna eſt illa Hiſtoria ut tota adſcribatur: Fulvius (Fabius Maximus, erravit enim Hiſtoricus in nomine) verò Cæſaris Auguſti amicus, cum jam ſenem eum ſæpius querentem audiret de ſolitudine ſuæ Domus: quodque duobus nepotibus fato functis, poſthumo, qui ſolus reliquus, ex calumniâ, neſcio quâ, exulante cogeretur Uxoris ſuæ filium ad ſucceſſionem imperii vocare, quanquam miſerans & conſilium captans revocandi ab exilio nepotis: cum, inquam, hæc audiret Fulvius, enuntiavit ſuæ Uxori, illa Liviæ. Livia autem acerbè cum Cæſare egit, cur, quoniam pridem id decreviſſet, non acerſeret nepotem, ſed ſe odio invidiæque ſucceſſoris objiceret; venientem igitur de more mane Fulvium, & ſolitum illud dicentem, Ave, Cæſar reſalutavit; vale inquit, Fulvi. Atque ille, id intelligens, domum ſe illico ſubduxit, & vocata Uxore; reſcivit, inquit, Cæſar, non ſiluiſſe me arcana. Ideò mori mihi decretum eſt. Uxor autem: jure, ait, quoniam tamdiu mecum habitans vivensque nec noveris nec caveris intemperantiam meæ linguæ. Sed præcedam tamen & ego, & accepto gladio, ſe ipſa viro coram interemit. Ergo tu ô Politice, magnam adhibe hac in parte cautionem, ne idem te maneat infortunium: multa enim ad augendas fortunas per Uxorem tibi expedienda ſunt, imò plurima, quæ quaſi te inſcio cum aliis agat: ſi verò ea cedant in commodum tuum, taciturnitati ut maximoperè ea ſtudeat, neceſſe eſt.

B. Gramond. H. G. l. 2. p. 160. Io. de Buſsier. Hiſt. Fr. l. 24. p. 498. I. Lipſ. in Annot. ad A. Tac. l. 1. p. 11. ex Plutarch.

§. 17.

Deinde ne affines tuos tuis adjuves opibus eosque fortunatiores reddas tuis fortunis, inde enim lites plerumque oriuntur; unde etiam Politico non rarò ſolent evenire adverſitates: ſed eos quoquo modo promoveas, & Luynæi Galliæ Regis ſupremi Miniſtri inſiſtas veſtigiis, qui Brantæum & Cadenetum fratres unà ſecum trahebat, quo fortuna monſtrabit iter: ſi quid immemor

Gramond. H. G. l. 2. p. 171.

aut spontè prætermiserat, legebant fratres eò avidius, quod utrique erant domi res angustæ & tenues. Ut sic aliunde auctis divitiis te venerentur, te observent, perpetuaque gratitudinis argumenta exhibeant: quique te, quando opus, defendere possint: tutissima quippe & utilissima sunt beneficia, quæ quis de alieno suis largitur, fortioreq; vinculo obstrictos reddunt gratitudinis, Notes tamen, ô Politice! & hæc diligenter; ne etiam tuis secretissima, quæ per te expediri possint, neque alterius ope indigent, negotia, credas: si enim alios adhibueris, metuendum tibi semper, ne, quando illos fortè offenderis, prodant tua Consilia: nulla namque major inimicitia, quàm quæ inter consanguineos oritur: quæ quoquo modo avertenda.

§. 18.

Major Auctoritas, major apud omnes gratia acquisita, majorem curam callidorum consiliorum exposcunt, ut Principis gratiam, auctoritatem, & amorem Populi non conserves modò, verùm subinde augeas. Arduum hoc & difficile: cum enim auctoritas & gratia sint fluxa ac instabilia, nisi fulcro divitiarum & potentiæ nitantur. Paupertas enim nihil nisi contemptum parit, ad inferiorum opem non raro nos adigens, ut verissimum illud sit:

Haud facilè emergunt, quorum virtutibus obstat
Res angusta domi———————

Ex Pausan. Attic. Arnisa. de Rep. l. 2. c. 2. s. 6. n. 73.

Hinc optimè egit Phormio, quando repudiavit imperium classium Atheniensium: quod sibi ob paupertatem non sat auctoritatis apud milites fore diceret. Summa ergo requirit necessitas, ut divitiarum curam, auctoritatis & gloriæ antevertas: quibus homines maximè & honoris & amoris affectus concipiunt. Hinc benè, nescio quis, ait:

Quantum quisq; suâ nummorum possidet arca
Tantum habet & fidei.

Ergo mentitus est, qui exclamavit, quid divitiis delectaris? opes sine ope sunt: hoc unum præstant, ut gemas aliquando tuas gemmas; proh sanctam simplicitatem! ego econtra ajo, ministrum sine divitiis esse quasi avem sine pennis. Expeditum hoc tibi dabo, si prius præcepta quædam dilucidius proposuero. §. 19.

§. 19.

Dixi ſimulanda eſſe omnia, in eoque Tiberium imitandum; qui, cum eſſet ingenio inſidioſus, & commodi proprij ſtudioſiſſimus, ſemper ſimulabat ea ſe velle quæ nolebat, & contra; his quaſi infenſus, quibus conſultum cupiebat, ijs, quos oderat, benevolus quaſi apparebat; hinc verba ejus plerumque obſcura, ſuſpenſa: nunc perplexa, nunc in ſpeciem recuſantis compoſita. Michael Calephatem Imperatorem Orientis produnt hiſtoriæ, fuiſſe ingenio ſubdolo, etiam linguâ ab animi ſententia diſſentiente ac diſcrepante; alia tegere, alia dicere ſolitum fuiſſe: de Duce Eſpernonio Gallo legitur, ei fuiſſe ſublime ingenium, implicita mens & obſcura, arcani capax. Iccirco omnibus benevolus appareas, inferioribus, paribus; in ſermone, geſtibus, in omnem humanitatis ſpeciem demiſſus: amicis pariter ac inimicis. Imò his quam illis majorem, quoad faciem, quoad verba, quoad geſtus, benevolentiam ſimules, etiam interdum (ſed rariſſimè) quoad effectum: Exemplo Germanici, qui cum Piſone acerbiſſimo inimico, tanta manſuetudine agebat, ut, cum orta tempeſtas raperet Piſonem in abrupta, poſſetq; interitus inimici ad caſum referri, miſerit triremes, quarum ſubſidio diſcrimini eximeretur: ſi præſertim quaqua ratione nocere tibi poſſunt; inde enim triplex tibi commodum; ut illi inimicum, ſi quem fovent, affectum deponant; non facilè delatoribus credant; ac deniq; te hominem Chriſtianum autument, qui & inimicos diligere poſſis. Atque triplici nomine à ſuſpicione liberatum te aliis commendent. Mariam Medicæam Reginam Galliæ, Vxorem Henrici IV. artem ſimulandi diſſimulandiq; optimè calluiſſe, hiſtorica monumenta tradunt; in tantum, ut omnem à Primario Regis Ludovici XIII. miniſtro Luynæo ſibi illatam injuriam probè diſſimularet; ſi quando palam de ipſo proloquuta, per honorificè dixit, ut ne quidem ſenſiſſe injuriam diceres. Poſtquam illa aliquando coſieras venerat, Regis prænuncius Luynæus huc ſe citatis equis confert: intromiſſus invidiæ detergendæ ergò provolvitur ingenua: defixusque in Reginæ veſtigia, in modum adorantis, fimbriis tunicæ imprimit oſcula. Regina æmula utrinque diſſimulatione, lapſum erigere,

Dion. in vit. Tiber.
Tac. A. 1. 1. ſ. 1. 33. 4. 4. 31. 3.
Ex Cuſpin. Beſold. H. Conſtant. p. 169.
B. Gramond. H. G. l. 3. p. 226.
Tac. A. 2. ſſ. 3.
Gramond H. G. l. 3. p. 230. & 232.

erigere, prensare manum, placideq; arridere ut fido & amico. Illi pro veneratione, silentium est: dumq; palpitans hæsitat specie timentis, Regina sic infit; lætari se aspectu viri, qui Regi inter intimos est: nec defuturam promovendo in gratiam Regis, & si quid adjici posit fortunæ viri, qui se collaturum opem suam promisit conservandæ, quæ in præsens est, filium inter & matrem concordiæ. Hujus illustris Reginæ insistæ vestigiis, & salvus eris. Quod hospitalis magnus in Gallia Cancellarius perpendens, benè scripsit;

Verè Magnatum non sunt sine fraude labores
Verum hodiè laus est non ultima, fingere vultum
Et simulare probè, nec qui fallere nescit
Mentirive, feret sapientis nomen in Aula.

§. 20.

Candidatos Consulatus Romæ imiteris; hi petituri Consulatum, præterquam quod multos sibi conciliare coacti sint amicos qui Salutatores, Deductores, Sectatores, quævis officia honoris ipsis exhibendo, alios cives in similem affectû amoris & officiorum pertraherent; hoc primùm summâ curâ & studio attendebant, ut nomina singulorum Civium ex Nomenclatore (ita eum vocabant qui nomina Civium designata Domino suo recitabat) discerent, eosq; suo nomine salutarent quotidiè, animumque affectum ut & humanitatem singulis declarent, unde spem bonam futuræ administrationis & officii apud Cives susciperent eumq; suo calculo juvarent: ita tu in officio novo omnes salutes, & quantum fieri potest, singulorum conditionem & fortunas, illorum præsertim, qui tuam opem & promotionem in Aula exposcunt sæpius, qui te Populo recommendatum reddere possunt, noscas; ut petitionem illorum prævertens promotionem & auxilium offeras, idque amicis pariter atque inimicis ut dixi, verbis prolixis tantâ humanitate & benevolentiâ facias; ut si vel non possis vel nolis illos adjutos, facilè tamen, si non excusare valeas (ad quod laborandum) humanitas illa laudem habeat, ut quod unus in te culpet, si ab alio lauderis, humanitas illa culpam diluat, quam in aliis austeritas mereri videtur. Adjuvandi autem promovendique sunt

Io. Rosin Antiq. Rom. l. 7. c. 8.

ſunt tibi omnes, unde ſpes utilitatis aliqua lucet (id tibi felici Politico apprimè cùrandum, ne quicquam facias, undè commodum non proveniat) neq; attendendum, an mereantur vel non, dum tu merearis aliquid: idq; ſine periculo & difficultate facere poteris, ſi tibi ſoli gubernationis partes demandatæ ſint.

§. 21.

Si verò collegas minus fidos faventesque habeas, alia in eunda ratio, videndum enim tum ſummâ cura, cujus ſint ingenii. Hoc autem etiam atque etiam agas ut officia hominibus dentur, non officiis homines ſecus ac ſenſit Æneas Sylvius poſtea Papa Pius II. qui ſcribere auſus fuit, dignitatibus homines dandos non hominibus dignitates: ſed contra tu potius vide ſis, ut ad omnia officia, ſuperiora præſertim, homines vel timidi, vel ſubjecti animi, aut avari vel indocti, vel denique juvenes, qui per ætatem nec judicio pollentes, nec experientia edocti, inconſtans conſilium, nec pertinax rectè faciendi propoſitum habent, promoveantur: ſic illos metu deterritos, aut ſpe commodi commotos, iſtarum rerum experientia fluxos, à tuo nutu dependentes: hos ob authoritatem & prudentiæ perſuaſionem facili negotio flectere poteris, ut in tuam non modo deſcendant ſententiam, ſed & ad nutũ pareant: id quod probè obſervavit Nicephorus Botoniates Imperator Orientis, qui publicorum negotiorum procurationem committebat hominibus linguas barbaras uſurpantibus, rectè loqui neſcientibus, totos dies in crapulâ & ebrietate conterentibus, quorum & familiæ & parentes, avi maximè, ſerviles erant: tam animo quàm judicio barbariſſimi, linquis Scythicis, intellectu pronunciatuque difficilia garrientes. Ac Manuel Comnenus itidem Imperator in oriente, qui Eunuchis, Cubiculariis aliisque experegrinis nationibus ortis ſemibarbaris, qui expeditius ſpuebant quàm loquebantur, tanquam obſervantiſſimis & fideliſſimis Miniſtris non modo ſummos Magiſtratus tradebat, ſed pro tribunali juris dicundi Provinciam in cauſis difficilimis, quæ vel peritiſſimis legum negotium faceſſerent, aſſignabat. Cum aliqua Provincia deſcribenda erat, iſtiusmodi Cœtus eruditis proponebatur. Et Conſtantinus Leonis filius, Imperator

Conf. Epist. Epidorp. l. I. pag. 18.

Chr. Beſold. H. Conſtant. ex Manaſſ. pag. 224.

Nicet. in ejus vita. T. VI. H. A. p. 345.

Zonar. in vit. T. IV. H. A. p. 773.

 Orien-

Orientis, in conferendis Magiſtratibus non dignos Præturis, aliisque muneribus præficiebat: ſed minus bonos ac poti' improbos. Idem obſervavit Conſtantinus Monomachus Imperator: hic enim dignitates promiſcuè in indignos contulit. Atque Ludovicus XI. Gallorum Rex, qui Sartore pro Fæciali, Tonſore pro Legato, Medico pro Cancellario uſus eſſe fertur. Hac via feliciſſimè inceſſit ſæpius dictus Luynæus, de quo Author hæc refert: Admoventur item Regi (Ludovico XIII.) Deſplanus, Marcilhacus, aliaque id genus capita, magna pars è fece vulgi: à publicâ adminiſtratione illum divertendo, ſi aliquando Regem ſe meminiſſet, dum Luynæus Regni gubernaculo totus incumberet. Neque quicquam faceſſet tibi perſuaſio, quin tibi hæc viliora capita ultrò ſummam rerum committent, ad omnia obſequioſi futuri ſervitia. In omnibus autem promovendis cave, ne aliquid ex virtute & meritis promoveatur potius, quàm gratia: ita perſuadeas unicè, ne ultrò quisquam vocetur, ſed omnes ſupplicatione oblata petant officia: hos demum ex tuâ gratiâ promotos eſſe perſuadeas, unde apud omnes dictatoriam Auctoritatem, quam dixi, perfacilè obtinebis.

Zonar. in vit. T. IV. H. A. p. 813.
Bodin. de Repul. I.
Gramond. H. G. l. 3. p. 213.

§ 22.

Si collegam præter ſpem habeas doctum, verſutum, qui tuum ingenium noſcat, contra naturam te planè alium ſimules, videas quibus artibus tibi unum ex illis adjungas arctiſſimæ amicitiæ vinculo, ne tamen illi ex Arcanis tuæ Politicæ quicquam credas, quin commodis ejus parcè faveas, maximam autem verbis prolixis ſimules amicitiam, qui tibi in ſpeciem adverſans, quod nolle videaris promoveat; Clàm tamen omnes obſerva, ne tertius tui gratiâ quicquam eſſe factum ſuſpicari poſſit: ſique utilitati tuæ magni momenti quid allaturum eſſe credis; ille, qui cauſæ promovendæ maximè adverſatur, Patronus tuo Conſilio eligatur, & munere oblàto commoveatur in alium affectum: ſupplicatio illi (quod tutius quàm Secretario vel alteri) tradatur: qui primus cùm ſententiam quamvis contrariam dixit, tu eam tamen laudes, approbes, attamen aliam rationem afferas, ut ſi non in totum, in partem tamen aliquam, petitum impetra-

petrare possis. Si tamen manifesta rei iniquitas nihil admittit, ignorantiam rei factique prætendens, supplicantis impudentiam publicè ita exagites, ut inimicissimum putent omnes, cui tu maximè per affectum consultum cupias, privatumque in aliam partem officium illi pollicearis non modò, verùm etiam media ineas, quæ illi offeras.

§. 23.

Addo & hoc Consilii (quod te suspicione & odio apud plerosque eximet) si sententia tuo Patrocinio contraria fertur, cui te interesse necesse est, ejus publicationi non adsis, neque subscribas, ut vel ignorantiam prætendere, vel alio modo te excusare possis. Idem etiam agas in causis tuorum adversariorum, quos impeditum iri, nec eos offendere vis: offendendus verò tibi in faciem nullus, neque enim injuria è vestigio vindicanda, sed occulto intervallo temporis injecto, ne animus inimicus tibi periculum aliquod creet: Exemplo Tiberii Cæsaris, qui in præsens civiliter injuriam habuit, sed in animo revolvente iras, etiamsi impetus offensionis languerat, memoria valebat: Et Caroli IX. Regis Galliarum, qui, quanquam natura iracundior erat, tamen dominandi studio, ac simul vindicandi, injurias æstu, earum sensum abstrudebat penitus: tanta in potestate os & linguam habens, ut nec ulla voce, nec colore vultus leve mentis signum produxerit. Itaque abitus tibi fingendus, iter per aliquot dies negotio tractando prætexendum: nullis rescriptis per aliquot dies (ne sentiant Aulici, qui tibi fortè insidias struunt) subscribendum: in publicis quoque negotiis, si quid occurrit deliberandum, quod tuis nociturum sit commodis, vel quibus alios offendas, morbus simulatus absentiam excuset; ut aliquot dies vel septimanas, ab omnibus vacuus, meditari possis consilia secretiora, quibus Arcanorum consciis in aliam partem præstò esse, causamque ad nutum tuum rectius flectere possis. Sique Authoritatem Dictatoriam de Collegis impetrare non queas, quò tuis subscribant votis & consiliis, alia tibi, & prima ineunda est via, ut gratiam Principis quoquo modo præ aliis ambias & occupes, ut si illi nolint, plus tibi Princeps largiatur. Hoc Consilium

Tac. A. 4. 21. 2.
Io. de Serres H. Fr. l. 20. p. 104.

amplexus est Theodorus Styppiota; is fortuna comite eò promovebatur, ut Imperator Manuel Comnenus res omnes ex illius arbitratu administraret: homo profundi consilii, cordatus, suavibus moribus, & volucri præditus ingenio: Quæ Imperator jubebat, exequebatur; ille verò ea jubebat, quæ hic volebat. Ac Alvarez de Luna Primarius Regis (ni fallor Philippi III.) Hispaniarum Minister, qui regium animum variis artibus adeò sibi devinxerat, ut absolutè omnia solus pro lubitu administraret, Regique præter Titulum nihil restaret. Officia enim, quibus volebat, dabat, imò tantæ insolentiæ erat, ut à suo Rege jamjam distributas dignitates & officia iterum proprio motu revocaret & aliis traderet, regiosque favores ipse dispertiretur, Regi solùm relinquens cœteros Ministros illi recommendare omniaque pro eis, quos amabat, apud illum agere. Ac quod magis mireris, Rex neque deambulare, neque novum induere vestimentum audebat, nisi cum permissione illius; Cumque aliquando chartam ad subscriptionem ei porrectam perlegere vellet, conquerebatur ille Alvarez, hoc esse idem ac offendere suam fidelitatem, & non recordari servitiorum à se Regi præstitorum. Ecce fastum Hispani ministri erga suum Regem.

Nicet. in vit. Imp. T. V. H. A. p. 534.

Aristippe du Sr. de Balzac p. 128.

§. 24.

Persuadeas tamen Principi, ne omnibus causis expediendis sit præsens: pugnare id cum auctoritate ejusdem: Exemplo Romuli apud Halicarnassæum, & alios: qui omnino præcipiunt, Principem Magistratui suo ad id constituto, jurisdictionem & expeditionem committere debere. Quod pessimè observavit Alexius Comnenus Imperator Constantinopolitanus; Is enim certis diebus publicè pro tribunali sedebat, licebatque omnibus ei porrigere libellos supplices: quos ante se depositos à Notariis legi, & cujusque petitionem indicari, statimque responsa scribi, easque confirmata supplicantibus restitui jubebat. Ac Henricus III. Rex Castiliæ, qui toto Regiminis sui tempore ter in omni septimana publicam dabat Audientiam, & percipiebat Subditorum querelas. Apage hanc consuetudinem Imperatoriæ & Regiæ Majestatis culmen haud decentem! toto quippe cœlo differt Impe-

lib. 2.

Zonar. in vit. T. IV. H. A. p. 896.

Abregè de l'histoire d'Espagne de Sr. de Verdier. T. 1. p. 615.

Imperator ab Advocato, Rex à Causidico, Princeps à Rabulâ forensi: Inde enim tibi exultaret periculum, ne fortè Princeps ex crebris ejusmodi auscultationibus astutias & mores tuos animadvertat, aliorumque candorem experiatur, & tibi præcludatur via ad beneplacitum tuum omnia referendi, & animum Principis ad sententjam tuam flectendi: quomodo verò gratia Principis aucupanda, dicam: si privatas causas & Politico vero haud nocitura commoda expediero.

§. 25.

Dixi Politicorum auctoritatem & gratiam sine divitiis esse fluxam ac instabilem, propterea quod aliorum indigentes ope, auctoritatem suam prostituere cogantur: Ideoque nihil nisi spe commodi agendum, suscipiendumque esse, nullosque promovendos facilè, nisi qui commoda tua suâ operâ promovere possint. Proinde curandum maximè, ut opes acquiras & corradas maximas, quicquid etiam alii contra garriunt (nisi tibi sint ex Patrimonio, de quibus hic non loquor) non verò ex stipendio quod numeratur, id fieri potest: neque δωροφαγία seu amor muneris tuta, quæ animum sordidum indicans, odium & contemptum parit: neque munificentia Principis eò usque semper se extendit, ut paupertatis subsidium haberi possit. Nam non omnes liberalitatem Principum sentiunt, ut quondam Wilhelmus Stanleius, Regis Henrici *VII.* in Anglia Camerarius, munificentiam regiam expertus est: Is regio favore tantis honoribus & opibus auctus fuerat, ut annuatim reditus ejus ad tria millia librarum, seu 9000. ducatorum & amplius ascenderint; cumque post factam cum aliis quibusdam Anglis Pro[...]ribus in Regem conjurationem capite plecteretur, & bona fisco Regio applicarentur, inveniebantur in Castello suo de Holt, quadraginta millia mercarum, seu 80000. Ducatorum & amplius in pecuniis signatis, & vasa aurea & argentea, præter jocalia, supellectilem lautam, pecorum greges & armenta, & alia bona mobilia ingenti copia: Seu ut in nostro seculo Princeps Eggenbergius, is quippe ex simplici Nobili Styriæ, fortunâ & clementiâ Imperatoriâ (Ferdinandi II. Cæsaris) duce, eò pervenit, ut 150000. aureos in duobus

Fr. Bacon. H. Henr. VII. p. 226.

Hist. du Ministere du Cardinal de Richelieu T. 2. p. 226.

bus Silesiæ Ducatibus coemptis, annuo in censu sibi acquisiverit, & Principis titulo donatus fuerit: Velut Comes Schvvarzenbergius Joh. Adolphus, Supremus Aulæ Leopoldi Wilhelmi Archiducis (Ferdinandi *III.* Jmperat. Fratris) Austriæ &c. Præfectus, qui Munificentiâ Archiducali super 1200000. aureorum (seu 12. auri tonnas) in bonis & thesauris pecuniæ numeratæ acquisivisse fertur, imò post obitum præfati Archiducis (qui incidit in Nov. an. 1662.) per Testamentum nactus est 250000. aureorum, cum omni argenteâ supellectili, & mobilibus aliis ingentis pretii.

§. 26.

Itaque ut principio inopiæ sublevamen afferant supplicantium munera, eaque acceptes, hac cautione opus est, ut videaris à muneribus alienissimus (habeas alios, qui possint, quæ & qualia velis munera, illis obliquè suggerere) ut non tibi, sed vel ministris vel uxori afferant munera, teque nil minus agere, quàm ut ejusmodi munera acceptes, persuadeant: quibus inscius quasi omnem promotionem præstes, ut alii hac promptitudine convicti, ad majora præstanda alliciantur. Si tamen negotium honestum alias difficultates non habeat, ut possis tutò sumere, ne recuses cum effectum fuerit, verùm tuis demandes, ut digno munere laborem compensent: itaque ab omnibus non sumendum, qui vel cum dispendio fortunarum de necessariis vitæ subsidiis detrahunt, vel causam manifestè injustam promotam cupiunt: Hinc sapienter fratrem suum Flaminium Platum Cardinalem, Hieronymus Platus Lojolita monuisse legitur, ut continentiæ semper studeret, manusque ab accipiendo intractas servaret. Non quidem, quod omnia, inquit, respuenda: id enim nimis fortasse durum videretur: sed cum apparet eò dona tendere, ut animum deliniant, eoque inclinent quò non decet, tùm verò constantissimè repudianda, etiamsi auri montes offerantur. Hæc ille. Cave autem acceptes exigua, vel assuefacias homines, ut parva afferant (præter esculenta, quæ acceptare liberè potes, vel Jmperatoris auctoritate) quæ quò crebriora sunt, tamen parùm augendis opibus profutura; ita suspicionem δωροδοκίας augent: sed ita moderanda ut magna sint, utque si ab uno munera sumas,

Chokier. Thes. Pol. Aph. p. 1. l. 3. cap. 1. ex H. Platon. l. de Cardin. dignit. & off. c. 11.

L. Solent. 6. § Legatos. ff. de Offic. Proconsf. & Leg.

ſumas, apud alios vitium præfatæ δωροφαγίας non incurras: Et denique ita ſient, ut pecuniam pariant, exemplo Cardinalis Franciſci Adriani Cevæ, cui rarò munera grata, niſi divendi & nummi inde comparari queant. *vid. Tr. German. Wagſchal der Röm. Cardinäl. p. 263.*

§. 27.

Ac ut culina tua variis ciborum generibus ſit referta, venatores inprimis recommendatos habe. Quum enim plerique Principes nullâ re magis delectantur quam venatione, adeò, ut nonnulli quotidiè ad reprehenſionem usque & cum periculo venatui invigilent ſylvasque fatigent, adeoque nihil aliud ſomnient, quàm venationem: indeque ſi non in omnibus, ſaltem in plerisque venatoribus ſatisfaciunt: ut ergo tu quoque fructum ab iis ſentire poſſis, fac unicâ tuâ ope, tuo conſilio apud Principem uti cogantur: tunc pro gratitudinis arrhâ variis delicatiſſimis eſculentis carnium ferinarum, & quibuscunque aliis animalibus, quæ montes, ſylvæ, campique (pro quolibet anni tempore) nutriunt, illos te honoraturos eſſe, re ipſa perſpicies. *Gail. P. O. l. 2. O. 67. n. 3. & 4.*

§. 28.

A Principis munificentia petere divitias, tuæ conditioni ſufficientes, præterquam quod dubium, (ut paulo ante dixi) etiam ſummæ imprudentiæ eſt beneficio accepto naturaliter ita obligari, ut te perpetuis ſervitiis obſtringere cogaris, unde tibi omnis rima emergendi præcluditur: verùm ita agendum, ut aliis mediis divitiarum theſauris conquiſitis, Principi potius flagitante neceſſitate (de qua poſtea) ſuccurrere poſſis, unde commoveatur, ut gratitudinis potius quàm beneficii loco duplo majora offerat munera; vel niſi hoc ſubſit, perſuaſum habeat Princeps, per alios te commendantes, magno te beneficio affeciſſe, vel affectum eſſe Principem & patriam, tuâque ope & conſilio carere non poſſe, ut ultro tibi non exigenti & petenti maximum offerat beneficium. Certum quippe eſt feliciorem eſſe illum Miniſtrum, cui Princeps ob benè merita, quam qui Principi ob ultronea beneficia eſt obligatus, ſecus ac ſenſit Ludovicus XI. Rex Galliæ. Hoc optimè obſervavit Regis Ludovici *XIII.* in Gallia primarius Miniſter, Cardinalis Richelius, qui deficientibus num- *Caſpar. Ens. Epidorp. l. 1. p. 44.*

mis in ærario regio, aliquoties de suis Thesauris suo Regi ingentibus summis subvenit: præsertim in memorabili illa obsidione Rupellæ, unde hoc consequutus, ut Regiâ munificentiâ pluribus deinde beneficiis opibusque accumularetur.

Histoire du Ministere du Cardinal de Richelieu. T. 1. p. 562. & T. 2 p. 226.

B. Gramond. H. G. l. 17. p. 740.

§. 29.

Qui verò ad altissima adspirat, simulare debet, neque se minuta, neque alia munera oblata curare, quod magni animi indicium ad majora incitat Principem, ita ut Politicus ejusmodi laudem suam sartam tectam conservet: quod per sequentem lepidam, veram tamen, Historiam meo Politico verificabo. Præfatus Ludovicus *XI.* Franciæ Rex, acceptis, nescio unde, duodecim scutatorum millibus, non ignarus mox Aulicos undique tanquam ad prædæ partem convolaturos, pecuniam omnem in mensam effundi jussit: & ad circumstantes conversus. Numquid, ait, jam probè nummatus Rex sum? quid verò his mihi nummis faciundum censetis? quanquam facilè ipse intelligam, quum donati mihi sint, aliis quoque à me donandos. Ubi jam sunt amici mei, qui gratum mihi & utile officium aliquod præstiterunt? Omnium animis magnam in spem erectis, Rex quempiam hianti ore atq; oculis thesaurum illum quasi devorantem conspicatus, quid tu, ait, hominis es? nulla ne recensere tua potes merita, quæ aliquâ digna sunt compensatione? ille Falcones Regis sese diligenter & fideliter, ac magnis etiam cum suis expensis aluisse dicebat, seq; Regiæ liberalitati quàm humillimè commendabat. Inde alii atque alii prodeuntes, sua quisque officia, atque interdum etiam non sine mendacio, jactabant ac deprædicabant. Adstabat verò inter reliquos Regis Cancellarius, quem ipsum Rex quoque acciri jusserat: sed reliquis prudentior, nulla sua merita narrabat, sed tacitus tanquam post scenam sive siparium, se continebat. Re in longum, ut cupiditas illorum & spes tanto magis accenderetur, pertractâ, tandem Rex ad Cancellarium conversus, an tu, inquit, solus nihil postulas? an solus nihil habes quod prædicare possis? ibi Cancellarius: Ego, inquit, ô Rex, à tua liberalitate multo plus accepi quàm omnibus meis officiis unquam promerui: ac jam in illam tantùm mihi curam

Casp. Ens. Epidorp. l. 2. p. 193.

&

& cogitationem incumbendum est, ut, quàm possum, gratum me exhibeam, tantum abest ut quidquam à Regiâ vestra Majestate poscere velim aut debeam. Ergo tu, inquit Rex, solus inter tàm multos pecuniâ opus non habes? Equidem, respondit Cancellarius, ut opus non habeam, jamdudum regiâ vestrâ liberalitate mihi prospectum est. Tum Rex ad reliquos, numquid magnificus, inquit, Rex ego vobis videor, qui Cancellarium habeam tam opulentum? hinc dici non potest quanto majorem spem pleriqueomnes conceperint, postquam audivere Cancellarium, neque sibi quidquam poscere, neque opus habere. Suspensis diu omnium animis, Rex tandem Cancellarium ad se vocat, & quamvis, inquit, tu solus nec à me petere quidquam, nec ullum tuum meritum jactare volueris, Ego tamen & præteritorum conscius, & futurorum certus, volo ac jubeo, ut quantum nummorum in hac mensâ jacet, id omne domum tecum auferas. Mox reliquit, qui tanquam corvi hiantes delusi, tristes hæc audiebant, vobis, inquit, alia occasio exspectanda est. Sic Rex Ludovicus, sic Regius Cancellarius, tu mi Politice sequere & satis dives eris.

§. 30.

Ad priorem itaque modum ditescendi ut intentus sis, in eo loco, quo degis, videas, qui sint potiores modi ditescendi (novum enim modum in hac hominum fraudulentiâ & astutiâ ut inveniamus, impossibile ferè est) ex iis unum alterumve seligas, neque æstimes, an ex dignitate sit tui muneris, dummodo certa spes lucri subsit. Cum non puduerit Imperatorem Vespasianum gratum odorem lucri ex re qualibet & vel urinâ percipere, neque vituperio ipsi ducatur: quid homini politico vitio detur, si quoquo modo necessaria sibi acquirat? judicent alii de fæce vulgi, quidquid velint; non cura; imitare hac parte Cajum Caligulam Cæsarem quem cum sedentem Jovis ornatu in solio eminentissimo Gallus quidam irrideret illeque re animadversâ ad se vocaret hominem, rogaretque quid sibi videretur? ac is responderet, hanc magnam dementiam videri, nullo damno eum affecit, quod sutor esset.

Sueton. in vit. Vespas.
Reusner. in symb. imp. class. 1. symb. 10.
Dion. in. vit. C. Calig.

§. 31.

Ut tamen odium aliorum (in maximè jucundis & prosperis rebus) declines, cum aliis Societatem clam primo ineas, vel pecuniam, ut suo nomine ex negotiatione tibi acquirant, suppedites: ut autem fidem tibi præstent, partim metus, partim remunerationis & promotionis spes commoveat; neque tibi de damno & rerum tuarum jacturâ metuas, sed pecuniam illis hoc pacto credas, ut si quid lucrentur, dimidium lucri tibi reddant, Id quod pauci, qui aliunde commodum sperant, detrectabunt. Sique sunt alii modi acquirendi, eos non negligas, etiam sordidissimos, quos tamen per alios expedias, cujusmodi sunt Negotiationes, consistentes in emptione, venditione, & permutatione porcorum, ovium, boum, vaccarum, stagni, ferri, cupri, cori, acuum & similium rerum vilioris pretii, quas Minister ille Primarius (quem nominare supersedeo) Magni cujusdam Teutonici Principis quàm felicissimè, licet non sine subditorum damno, maximo tamen suo emolumento, hactenus exercuit. Ut vero certus esse possis, num institores tui fidem tibi præstiterint in administranda bonorum opera, exploratores habeas famelicos, quos mensæ tuæ participes facias, qui civitatem omnem perreptent, omnia exquirent, explorent, quæ in rem sunt tuam.

§. 32.

Neque hoc negligendum, ut multas cauponas, multa prædia, eaque fertilissima & commodis tuis [illegible], emas: Sique prædium aliquod tibi contigerit, quibuscunque artibus vicinorum etiam ambias, quod si bonis conditionibus impetrare non possis, astu aggrediaris: ut inter vicinos odii semina spargas, ex quibus persequutionis surculi in flores litis apertæ abituri (te clàm irrigante) producantur. Cujus tamen causæ compositionem ex jure vicinitatis [illegible] in diem negotia protrahas, donec pertæsus molestiarum [illegible] ipsi [illegible], alium quærat conditionem, ut tibi [illegible] bona sua [illegible] illico, [illegible] aliquandiu recuses, donec precibus [illegible] instigante, & [illegible] conditionem offe

offerente, te commodum potius illi beneficium obtulisse alii putent, quàm suspicentur te auctore hoc factum esse.

§. 33.

Est tamen & alia ratio, si alicujus vicini inhies fundis, ut Domino ex eodem affectu vicinitatis (cave alia causa vel minimo subsentiatur indicio) ad officium aliquod promotionem offeras, cujus omnes sunt cupidissimi, & honoris causâ, & quod ex alterius agro semper sibi uberiores fructus sperent, interea per tuos aliud quasi agentes, aliamque utilitatem monstrantes animum illorum pericliteris, ut tibi bona vendant melioribus conditionibus, quàm sperare possint ex prædiis suis: hac spe non est dubium, quin vota tua anticipent & tibi ultrò bona sua offerant, quæ non tu, sed alii emant pecuniâ tuâ. Ut autem omnia quæ in rem tuam faciunt excutias, sique sint bona controversa, vide, ut si lite sit experiundum, eum promoveas, qui vel paupertate coactus, vel spe victoriæ rogatus, ultro in commodum tuum litiget, & bonorum compos fiat, sique lites non sunt, tu eas, quas facile potens, excites. Tandem & hic non raro observatur modus, ut per permutationem non pauca prædia acquirantur, quod tamen nisi Principis fundi in tua sint manu, non ita crebro feliciter cedit. Dantur etiam adhuc alii modi divitias acquirendi, è quibus potiores jam tibi aperiam, ut, si non omnibus iis commodè uti possis, tamen quidam fructum speratum ferant.

§. 34.

Primus modus consistit in eo, ut ab aliis Principibus pensionem accipias annuam, occultè quidem, quam sine ulla perfidiæ labe justissimo titulo accipere potes, modo diligenter attendendo, an istiusmodi Princeps, cujus tu Pensionarius existere vis, sit vel clancularius vel apertus tui Principis hostis, vel non: Priori casu plane non decet nec licet: in secundo maximâ cautione opus, siquidem istiusmodi pensio tibi ideo solveretur, ut exploratoris instar omnia tui Principis consilia & molitiones expiscereris ac patefaceres; quo tamen magnum famæ & existimationis periculum tibi crearetur; hoc autem omnibus modis præcavendum; Agesilaum potius hac in parte sectare, qui tantum abest, ut *Vid. Chokier. Thes. Pol. Aph. l.3.c.19.*

ut maxima munera (multo minus pensionem) à maximis orbis Principibus acciperet, quin literas ad se ab eis, & nominatim Persarum Rege missas resignare noluerit, dicens: si Rex Lacedæmoniis amicus sit, frustra sibi privatim scribi, cum ei quoque amicus sit: sin inimicus, ne literæ quidem vel quidlibet aliud cum à fide abducerent, quam Lacedæmoniis deberet. Posteriori casu, ac si ejusmodi Princeps cum Principe tuo colit amicitiam, tunc optimo jure annuum ab eo accipere potes stipendium, aliaque munera, nihil inde infamiæ pertimescendum.

§. 35.

Secundus modus legitimè ditescendi in hoc versatur casu. Quam sæpissimè evenit in Aulis Principum, ut, si Princeps Fratres habet vel Agnatos (inprimis ubi jus primogenituræ viget) quibus Apannagium certum quotannis solvendum, nec tamen propter summam convenire possint; illi studeant, primarios Consiliarios & viros maximæ apud Principem auctoritatis, muneribus sibi devinctos reddere, quo annui eorum proventus horum ope & consilio augeantur; & talia dona non nequis tutissimâ conscientiâ accipere, siquidem simulando (simulatio iterũ iterumq; nostro Politico inculcanda) te omnibus viribus illorum petitionem promovere, tamen Principi tuo clàm consilio suggeras, ut licet non tota, tamen pro magnâ parte impediatur Apannagii auctio: hoc modo Principis Clementiam non perdes, & ejus fratrum vel agnatorum gratiam conservabis, qui semper studium tuum promovendæ utilitatis laudaturi, omni te principali favore (quasi perpetuò tibi devinctũ) prosequentur.

§. 36.

Tertius modus augendi opes hic est: Si Principi tuo te Subdelegati vel Commissarii munere fungi placet, ut cum aliis, vel superioribus, vel paribus, vel inferioribus negotia tibi componenda, inprimis, quæ thesaurum tuum augere possint, quàm-maximè prospicias; simulando speciosissimis verbis erga utramque partem, te utriusque commodis quam diligentissimè studere, cum tamen nihil minus quàm hoc agas, sed jus & æquum perpetuò tibi ante oculos versetur, tunc ab unaquaque parte tibi

tibi dona afferentur, præmia laborum tuorum: Ac si fortè negotium non esse sortiturum exitum prævspicis ad partium satisfactionem, caveto sententiam latam ipse aperias, sed si commodè fieri potest, alium ista sparta hac orna, ut honestam te excusandi erga partes habeas rationem, easque nihilominus tibi obstrictas serves.

§. 37.

Quartus modus acquirendi pecunias est; si ingruente necessitate, aut alio quovis (sæpius & inani) desumpto prætextu, Princeps de Statibus suis Provincialibus (vulgò Landstände) charitativum petit (vel imperat hodierno more) subsidium, ingentem pecuniæ summam attingens: tum solent illi Status cum præcipuis Principis ministris tractare crebrius, eosque rogare, ut Principi dimidiam vel tertiam partem petiti subsidii accipere persuadeant. Si tibi, ô politice mi! à Principe tuo talis sparta demandatur, omnibus modis iis ostende, impossibile planè esse, ut unicus teruncius ab imposita summa remitti queat, variis adductis in hanc rem argumentis & conquisitis veri coloribus; te quidem apud Principem boni viri instar, non quærentis depauperationem Statuum aut ruinam subditorum omnibus viribus laborare velle, ut ipsis satisfiat, interim te nihil certi spondere posse. Tunc demum variis te honorabunt donis, vasibus argenteis, gemmis, annulis, aliisque pretiosis, imò & numeratâ pecuniâ, quæ omnia accipias bonam spem faciens, fore ut voti compotes fiant; interim tamen secretis consiliis Principis animum ita captes, ut nihil remittatur: si autem ipse vides postulati subsidii solvendi impossibilitatem, per alios tuos eo allabores, ut certam pecuniæ summam tibi donent, te deinde apud Principem sic negotia dispositurum, ut effectu sentiant tuum auxilium. Hoc consilium illi non detrectabunt, sed una die horâque tantam nummorum quantitatem pro honorario daturos tibi experieris, quantam vix toto anno lucri fecisses, qua justissimo titulo accepta, Author sis Principi 4. vel 6. partem petitæ contributionis remittere, quo impetrato, juramento Principis satisfecisti, Status tibi obligatissimos reddidisti, & commodum tuum privatum non neglexisti. Novi Ministrum Potentissimi

cujusdam in Germania Principis, cui à Statibus provincialibus 1000. Imperiales dono dati, quia Principi suo suasor extiterat, ut dimidiâ fere parte ingentis summæ postulatæ se contentaret.

§. 38.

Quintus ditescendi modus est, ut ambias varias ad alios Principes legationes: Sæpius enim tales Legati variis muneribus honorantur, aureis torquibus vel aliis pretiosis, imò etiam creberrimè magnâ nummorum copia (omni quippe ope nostro Politico est laborandum, ne ullam occasionem augendarum suarum facultatum elabi sinat) duplicem inde sentiens fructum, auctoritatem tibi conciliando & opes tuas augendo. Omnia quidem dona accipias, hac tamen iterum cautione, si Princeps ad quem tu ablegaris, vivat in hostilitate apertâ vel clandestina cum tuo Principe, ne obulum quidem doni loco ab eo sumas, exemplo Mareschalli & Ducis Bironii in Gallia, cum enim Carolus Emanuel Dux Sabaudiæ, apud Henricum IV Regem Galliarum, ob controversiam inter eos Principatus Saluccienſis possessionem aliquandiu substitisset, ac variis exquisitissimis donis Regis primarios Ministros honorasset, & præfato Mareschallo liberalitatem suam per aliquot equorum generosorum præsentationem etiam ostendere vellet, respondit is, se non consuetum esse dona ab iis accipere, quibus non benè conveniat cum Rege suo, Si vero Princeps cum tuo Principe colit amicitiam, munera ne deneges: ut enim prius perfidiæ labem aspergit, ita posterius æstimationis famam conciliat.

Ian de Serres inventaire General de l'histoire de France T.3. p. 520.

§. 39.

Ostendam tibi & sextum modum, qui in hodiernâ praxi nimis notus. Si tibi in tali Regione, ubi vinearum plantatio in usu est, morari contingit, tunc vide, ut quam selectissimis vinis, vel ex fundo proprio vel aliunde coemptis, cellam tuam vinariam repleas, & à Principe libertatem nanciscaris quâ omnes territorii sui caupones vina tua emere coacti, duplex pretium pro eis solvant, atque hoc lucrum nec Principi, nec subditis, nec cauponibus damnum importat; non illi, quia vectigal vinarium (seu das Ungelt) augetur: non istis, licet enim amphoram vi-

nica-

ni carius emant quàm alibi, non tamen inde depauperantur, non his, possunt quippe vina magno pretio comparata, majori divendere. Atque hac viâ quàm commodissimè thesaurum divinarum auges. Item & cum varii generis frumentis practicari potest: imo quam studiosissimè vigila, si in Aula Principis tui evenerit, ut vel propter prodigalitatem, vel alio aliquo malo frumenta vinaque deficere incipiant, neque statim nummi ad alia comparanda corradi queant, tu maximis frugum acervis cumulatis, & cella vinorum maximâ copia repletâ, præsto sis, & duplici pretio ista Principi vendas, ac solutionem dein vel ab ordinariis vel extraordinariis Principis proventibus sumas; sic magni ille æstimabit tuam in hac necessitate opem ostensam, tuæque pecuniæ (quod tibi unice annitendum) sine ullo Principis damno augentur. Septimus ditescendi modus est: habent plerique Principes pessimam consuetudinem, ut salaria annua Ministris promissa sæpius non solvant, imò per duos, tres, pluresve annos, ne teruncium quidem porrigi curent: hinc fit, ut qui servitio se abdicare conatur vel sponte vel coactus raro totam debitam accipiat summam, sed cum certo quodam ministro, pro tertia quartave (imo dimidia) parte exsolvenda tractet. Hoc casu, ô Politice! maxime invigila, & pecuniam tuam offer, ut postea tota tibi summa cum tempore reddita sit, quam quidem tu ipse (summa, si præsertim primarii ministri locum tenens cum Principis proventibus liberè disponere possis) illam maxima usura thecæ includas. Principi tuo nullum inde damnum oritur: debet is quippe solvere quæ promisit, sive tu accipias sive alius, non importat. Imò eò omnibus viribus contende, ut omnia quæcunque salaria annua, unico te promovente, ac ex tuis manibus omnibus cæteris Principis tui ministris solvantur: nullus etenim tantæ imprudentiæ inter illos erit, ut non pro quantitate salarii te munerare cupiat. Atque hic est unus è modis præscriptis, qui hodie in Aulis Principum maximè increbuit. Insta & sequere.

§. 40.

Unicum adhuc modum addo, vide sis, ut omnes supplicationes tam Statuum, Nobilium & subditorum tui Principis,

quàm

quàm exterorum (quibus negotia in Aula tua sunt) jam offerendæ ei, deindeque expediendæ, tibi soli & unicè tradantur: sic enim efficies, ut illi te solo intercessore coacti uti, semperque tuam conservare studentes benevolentiam, donis laborem tuum recompensaturi sint. Et hic quoque modus augendarum facultatum altissimas in Aulis Principum radices egit. Fac tu idem & dives eris. Nec deterreat te, quod Alexander Severus Imper. Vetronium Turrium operam suam acceptis muneribus iis, qui à Cæsare aliquid petere volebant, largè promittentem, sed plerosque inani spe decipientem palo alligatum, fumo necari jussit, cum Elogio, fumo punitur, qui fumos vendidit. Hæc severa castigatio hodiè non in usu est, quia enim mutata sunt tempora, mutatæ sunt quoque leges & ex his dictatæ pœnæ. Sicque indicavi, mi Politice, crebriores nostri seculi cumulandarum divitiarum modos, quos omnes invenit insatiata nummi comparandi cupido. Hinc benè Poeta ait

Caspar. Ens. Epidorp. l. 1. p. 15.

Inde fere scelerum causæ, nec plura venena
Miscuit, aut ferro grassatur sævius ullum
Humanæ mentis vitium, quàm sæva Cupido
Indomiti census.

Horat.

§. 41.

Si quando ita innotuit, te hisce modis (si non omnibus, potioribus tamen) acquirendi feliciter uti, vix abstinebunt alii, prout sunt homines divitiarum cupidi, quin te artesque imitentur tuas, si sint tuæ conditionis homines. Nobiles non impedias, sed omnibus juribus promoveas, ut hac ratione invidiam parium declinans, odia inferiorum non magni facere cogaris: imo quantum fieri potest Principi tuo persuadeas, ex prædictis negotiationibus multum augmenti proventibus suis adjectum iri, (quodque hoc possit jure, exemplo Principum in Italia & Electoris Bavariæ in Germania facere) quamvis scias, cum opera plurimorum ministrorum & rarò fidelium utatur, cum damnum sensurum, & cum pernicie subditorum, quibus & negotiationes debentur, frustra lucrum quæsiturum. Nostro enim Politico nihil debet esse injustum quod ei fructuosum. Exemplo

esse

esse potest braxatio cerevisiæ (ita coquere cerevisiam dicunt) in districtibus, quæ cum maximâ civium jactura, nullo commodo Principum, magno quorundam Capitaneorum seu Præfectorum emolumento exercetur, quæ Politicus non magni æstimare debet, dummodo cauponam exercere & divitias corradere possit maximas: neque enim lex Thebanis lata quidquam ad nos; eum qui 10. Annis commerciis non abstinuisset, non admovendum ad gubernationem. Nec veterum Romanorum de Mercaturâ judicium, uti Auctor ait, quæstus omnis partibus indecorus visus est, attendendum. Si enim Theophili Imperat. Constantinop. Uxor mercaturā tam terrâquā mari exercere non intermisit, cur meo Politico, imperatrice hac longè inferiori illa, ad commodum suum uti non concessum siet? Hæc tempora alios mores postulant, tuque, ô Politice! interea omnia humanitatis officia omnibus offeras, quamvis non semper præstes: illis autem præstes, qui tuis serviunt commodis modo prædicto.

Aristot. l. 3. Pol. c. 5. *Liv.* *Caspar. Ens. Epidorp. l. 3. p. 131.*

§. 42.

Si fortunâ accedente ditescas, ut fortunarum tuarum splendor enitescat, fieri non potest, quin invideant illi, qui æmulari divitiis non valeant, (nam invidia ferè semper meliorem fortunam sequitur) ac sinistrè loquantur, quibus detrahitur aliquid in negotiationibus, & impeditum eant quoquo modo, qui se jure suo læsos arbitrantur, inque his omnibus obtrectationibus & calumniis (ut fit in hac hominum malitia ut expers non sis) tu quidem simula magnanimitatem & animum heroicum, observaque monitum datum Hadriano VI. Pontifici Rom. qui cum gravissimè ferret, se famosis carminibus apud Pasquillam statuam lacerari, postea id civili animo tulit, edoctus à Ludovico Suessario, eam malè dicendi licentiam obscurorum hominum libertati atque nequitiæ dari, ut cum insignes viros impunè carpserint fortunam suam eâ vindictæ cupiditate consolentur. Ac imitare factum heroïcum Themistoclis, qui eum, à quo totum diem conviciis oneratus fuerat, noctu à suis cum lucerna deduci jussit; dic cum illo, nescio quo, calumnientur dum habeam, atque memento, mortalibus naturâ insitum esse recentem alio-

Ex jov. Arn. Clapmar. de Arc. Rerum publ. l. 6. c. 11. *Casp. Ens. Epidorp. l. 1. p. 32.* *Tacit.*

rum felicitatem ægris oculis aspicere, mementoque, de viro bono, parum referre, quid vulgus referat. Verum semper habeas dictos exploratores, eosq; homines levis armaturæ, quos exploratum mittas, quid de te sentiant, quidve moliantur, ut, quid tibi agendum, quomodo calumniis & machinationibus resistendum, scias, homines, inquam, leves, ut si quid habeas quod sparsum velis, securius per illos possis, dum apud plerosque fidem merentur nullam, sique per illos quicquam ad te perlatum est, levibus hominibus te fidem non dare plerique existimare possint: itaque liberius, quid te scire velint, loquentur, id quod liquido objiciendum aliis, tu quidem prætendas, te non commoveri calumniis, velle tamen indicatum, ut sciant te non ignorare quidquid de te sentiant, monere tamen, ut ab illis calumniis abstineant. Neq; enim tutum Politico, ut omnia ad vivum resecet & urgeat, sed & falsa perpetiatur potius, quàm ut ulciscendo falsa in veris periculum sibi creet, observetq; illud Comici, leniter qui sæviunt, sapiunt magis; prudentissimè Augustus Imperator Tiberio scripsit: Ætati tuæ, mi Tiberi, noli hac in re indulgere & nimium indignari, quenquam esse, qui de me malè loquatur, satis est, si hoc habemus, ne quis nobis malefacere possit.

Sueton. in Aug. c. 51.

§. 43.

Si quis Politicorum hoc modo ad maximas pervenerit divitias, ut aliorum expectatur invidiam, non nullorum odium apud plerosque tamen in maxima est authoritate & gratia, non pauci ambiunt ejus amicitiam & affinitatem, quod in defuncto Cardinali Julio Mazarino Primario Ludovici XIV. Regis Gallorum Christianissimi Ministro videre est, qui Mercatoris Siculi, Petri Mazarini filius, fortunæ favore non tantum Ecclesiasticæ dignitatis proximum à supremo gradum sibi acquisivit, verum & Galliæ Regis servitia aggressus, talem sibi auctoritatem conciliavit, ut Principes & alii Magnates quoque ejus affinitatem quæsierint: hinc Princeps Regii Sanguinis Armandus Contius annam Mariam Martionozziam: Thomæ Ducis Sabaudiæ filius Eugenius Mauritius Olympiam Mancini, ac hujus conjugii favore Comitatum Suessionensem: Dux Mutinensis Lauram

Mar-

Martinozziam Annæ Mariæ Sororem: Mareſchalli Meſlerai filius (Galliæ procerum ditiſſimus, utpote qui 1500000. libras annuorum proventuum poſſidere dicitur) N. Hortenſiam, Gothefridus Mauritius Dux Boullionenſis (Friderici Mauritii & Eleonoræ Febroniæ Com. Bergenſis filius) Mariam Annam de Manari Olympiæ Sororem, omnes præfati Cardinalis neptes & conſanguineas ſibi aſſociarunt. Ac dictus Meſlerajus aliquot tonnis auri per teſtamentum ab eo hujus Matrimonii gratia honoratus fuit, onere tamen hoc addito, ut Arma Gentilitia & nomen Mazarinium aſſumere cogeretur. §. 44.

Hinc fit, ut talis Conſiliarius ſæpius non careat etiam apud Magnates odio, ut ex actionibus variis contra Richelium & Mazarinum Cardinales à Principibus Aurelianenſi & Condæo noſtrâ ætate tentatis ſatis ſuperque edocti ſumus: imo aliquando ipſos Principes, ſi præſertim ſint tenaciores, & non patiantur potentes Miniſtros ſuos. Optimè ſibi hoc in caſu proſpexit Seneca, & cum effectu proſpexiſſet; Si non cum Tyranno ei res fuiſſet. Is enim cum premi ſe videret adverſariorum apud Neronem vocibus, tanquam ingentes & ultra privatum commodum evectas opes adhuc augeret: quodque ſtudia civium in ſe verteret, hortorum quoque amœnitate & villarum magnificentia quaſi Principem ſupergrederetur: & quæ alia addebantur: tempus ſermoni orabat: digna eſt Oratio ut adſcribatur pro parte. Quartus Decimus (incipit Seneca) annus eſt, Cæſar, ex quo ſpei tuæ admotus ſum: Octavus ut imperium obtines: medio temporis tantum honorum atque opum in me cumulaſti, ut nihil felicitati meæ deſit, niſi moderatio ejus. Ego quid aliud munificentiæ adhibere potui, quàm ſtudia, ut ſic dixerim, in umbra educata? è quibus claritudo venit, quod juventæ tuæ rudimentis affuiſſe videor: grande hujus rei pretium: at tu gratiam immenſam innumera pecunia circumdediſti, adeò, ut plerunque intra meipſum volvam; Egone equeſtri & provinciali loco ortus proceribus civitatis annumeror? inter nobiles & longa decora præferentes novitas mea enituit? ubi eſt animus ille modicis contentus? tales hortos inſtruit & per hæc ſuburbana incedit,

Tac. A. 14. 52. 2.

Tac. A. 14. 53. & 54.

& tantis agrorum ſpatiis, tam lato fœnore exuberat? una defenſio occurrit, quod muneribus tuis obniti non debui. Sed uterque menſuram implevimus, & tu, quantum Princeps tribuere amico poſſet, & ego, quantum amicus à Principe accipere. Cætera invidiam augent; quæ quidem ut omnia mortalia, infra tuam magnitudinem jacet: ſed mihi incumbit; mihi ſubveniendum eſt; quomodo in militia aut via feſſus adminiculum orarem: ita in hoc itinere vitæ, ſenex, & leviſſimis quoque curis impar, cum opes meas ultra ſuſtinere non poſſim, præſidium peto. Jube eas per Procuratores tuos adminiſtrari, in tuam fortunam recipi. Nec me in paupertatem ipſe detrudam, ſed traditis quorum fulgore perſtringor, quod temporis hortorum aut villarum curæ ſeponitur, in animum revocabo. Hæc Philoſophus. At quid ſperandum à Principe, apud quem excuſatio vitium defenſio crimen habetur? §. 45.

Diſparem, ſed meliorem effectum defenſionis, ſequens Hiſtoria indicat, quam enarrare hoc loco operæ pretium eſſe duxi. Monacho cuidam Theodorico Ragelvidio (alii Cagelwindum vocant) nomine, Carolus IV. Imp. arcis, neſcio cujus, quæſturam demandarat: quam ille ſic adminiſtravit, ut brevi magnas divitias corraſerit. Delatus ab invidis apud Imperatorem, quod malâ fide in bonis adminiſtrandis verſaretur, & ſuis tantum illuderet utilitatibus, & ſtatuto eam ad rem die, præſente Imperatore, & iis qui malæ fidei ipſum inſimulaverant, rationes reddere juſſus, nullâ morâ, inquit, opus eſt, Inviĉtiſſime Imperator: quod jubes hac ipsâ horâ facere paratus ſum. Juſſus ergo ſtatim libros, & alia ad eam rem neceſſaria afferre, ne his quidem, inquit, opus eſt. Mearum rationum ſummam accipite. Quum huic muneri à te præpoſitus fui, Clementiſſime Cæſar, vili & Monachali habitu inductus, pauxillulum pecuniæ in crumena habui. Id ſi per Veſtr. Majeſtatem retinere mihi liceat, eſt quod gratias agam. Si quid amplius habeo, id omne tuum eſt, ó Imperator: Cui etiam lubens volens omnia reddo. His auditis, ad circumſtantes, ac præcipuè Theodorici delatores converſus Imperator, quis veſtrum, inquit, eſt, qui hunc in modum rationes mihi reddere

R. P. G. Bucel. T. 1. Germ. p. 31. Caſp. Ens. Epidorp. l. 2. p. 226.

dere paratus sit? Silentibus cunctis & pudore confusis, Imperator Theodoricum complexus, bono animo esse jussit: atque eundem postea ad Episcopatum Mindensem, tandem etiam ad Magdeburgensem Archiepiscopatum promovit.

§. 46.

Itaque unà opera, quemadmodum paulò ante dixi, Principis gratia, & præ reliquis singularis clementia summis verbis aucupanda homini Politico, quo minus sibi à persequutoribus & accusatoribus metuat, & quam dixi, apud Collegas dictatoriam authoritatem consequatur, exemplo prædictorum duorum Regiorum in Gallia Ministrorum, Cardinalium Richelii & Mazarini. Id quod fit, si tu te Principis ingenio moribus, per omnia accommodes, neque id cures, quid ipsi conducat, honestumq; sit & ex dignitate, sed quod Principi placeat: observeturque illud Taciti, ut omnia honesta & inhonesta laudare mos sit: neque negligas illud Ciceronis, ut in aureos eorum fictè & simulatè quæstus tui causâ insusurres. Hisce inquam te accommodes, ore, gestibus, rebus, sermone, ac actionibus, ut non raro te, si opus, ultra conditionis tuæ sortem submittas. Hoc autem firmissimè ipsis persuadeas omnibus argumentis & mediis undiquaque conquisitis, imò jurejurando, detestationibus extremis sanctissimè affirmes, te in omnibus sanctissimum fore, quod usque adeò facias, ut firmissima fidei tuæ spes a Principe concepta altas radices agat, ut nullæ perfidiæ suspicio illis delationibus accusationibus, apud Principem unquā locum inveniat aliquem, quum putet Princeps se tutò tibi fidere credere, in sinum tuum effundere non solum sua omnia posse, verum & gubernationis partem maximam committere. Tac. A. 1. 38. 5

§. 47.

Hoc autem vide, præcipue impetres, ut Princeps in ministros inferiores absolutam committat potestatem, recipiendi removendique ad nutum tuum, ita enim in majori eris autoritate, & illorum operâ ad commodum tuum, tanquam servis propriis uti poteris. Et hæc practica maximè prodest fortunis augendis Politico: neque te ipsum commendes, vide ut aliquem habeas

ex veteribus ministris, qui in aliqua sit gratia, cum hoc contrahas amicitiam fidelissimam firmissimamq; (simulando tamen) cave autem ipsi te tuaque credas, ut hic te, tua virtute potius, quàm precibus commodus commendare videatur: huic tu (sed cautè & non nisi oblata occasione) paria facias, ut uterque gratiam occupantes, alios ab accessu & Secretioribus consiliis, si non arcere, saltem à directione consiliorum & actionum precludere possint.

§. 48.

Qui cautus est Politicus, non solùm Principis, sed & Principissæ clementiam ambit, ita præcavet, ne dum Principis expertus clementiam, à Conjugis irâ periculum metuat; præsertim cum ea vel aliquid in administratione regiminis participat, uti Uxor Alexii III. Cogn. Angeli Imp. Orient. Euphrosyna, quæ pari authoritate cum Imperatore viro gubernare volebat, neque enim ille dundaxat, quicquid erat libitum mandabat · sed illa etiam, pari authoritate, quæ visa erant, peragebat, imò aliquando pro sua libidine illius jussis intercedebat. Plerunque enim, ut est muliebris animus, quum videt virum in dignitate constitutum & divitiis abundantem à Principe amari, si se negligat, offenditur maximè, contra vero, si sentiat Primarios Consiliarios quos præ reliquis fides & prudentia commendant, suam quoque gratiam magni facere, singulari affectu accenditur. Et præsertim quo es major, eò te magis ad servitia, quævis subeunda, non tantùm verbis (quæ certè mulieres, nisi re præstentur, non admodum movent) quàm re promptissimum offeras, idque observes unicè, ut, quos Principissa ex ministris odio persequitur, novis semper argumentis libidini, iræ, indulgeas, & operam in persequendis ijs promptissimam pollicearis, maxime si tibi periculum ab ijs metuendum. Hanc autem clementium maximè promovet, si spem aliquam utilitatis & proventuum novorum monstres, id quod Principi etiam placet, præsertim si is non tantùm conjugi suæ deditus, sed cum Claudiano illo stipite totus Uxorius est, ut sic clementiæ affectû conjugentes summo amore ejusmodi Politicum amplectantur. Si tamen frugi est Politicus & suarum fortunarum non prodigus, ita moderabitur consilia, ut cum utilitate propria sint conjunctæ.

Nicet. in ejus vit. T. VI. H. A. p. 540.

§. 49.

§. 49.

Quamvis vulgaris Politica velit, eum qui Principatum alterius in manu habet, nunquam de suis, sed Principis Consiliis cogitare debere, ut à Principe remunerationem & beneficiorum collationem expectet; tamen qui nec in mediis nec infimis consistere constituit, ut dubia beneficia expectet ab aliis, quæ ipse in alios conferre possit, longè aliam habet mentem, ut commoda potius cum Principe dividat, (id quod minus habet invidiæ) quam ut novum beneficium cum aliorum calumniis & invidia expectet: poterit enim ex omnibus in Ducatu Principis proventibus citra jacturam illius percipere fructus, id quod Praxis potius quàm præcepta docent: hoc tamen observetur, ut præter proprias negotiationes ex Principis reditibus non unam maximam vel notabilem partem detrahas, quod peculatus crimen mereatur: sed ex omnibus exiguum, quod ne nomen quidem habeat, capias. Cum autem multas & varias habeat proventuum species: ex iis, quæ tuis rebus & negotiationibus serviunt, potiores seligas; poteris autem hoc commode facere, si ministrorum singulis rebus Præfectorum operâ utaris, qui omnes commendatitios Articalos in suis rebus cum Principis damno augendis artificiosè clam noverint, si animadvertant, ex superioribus aliquem, qui illos defendere possit, ejusdem esse ingenii, volupe faciunt, si servitia sua ipsi impertire possint. Videas autem, ut à Principe impetres, in aliquibus rebus commodis tuis servientibus, privilegium tolerabili pretio emendi certam summam, cujus prætextus, si in aliis te tuum propositum fallit, maximo commodo tibi tuisque rebus esse poterit. Hæc omnia si probe observes, non poteris non ad maximas divitias pervenire super sortem tuam & inde ad honores & dignitates genere & dignitate tuâ majores, maximè autem pecuniâ indigens aut inhians evehi.

§. 50.

Proxima hinc & non minor animum veri Politici subeat cura: ut pecuniam suam rectè elocet, eaque se contra adversarios tueatur utilitatemque ex ea non exiguam percipiat (idque non usurariorum more, quod vulgatum est, cum exigua usura

pro-

protrudere pecuniam; neque enim Politicus tam infensus est suæ pecuniæ, ut ei non benè prospectum & semper ditior esse cupiat) & potentissimos eadem devinciat: Fit autem potissimum, si vel Principi tuo mutuum dare possis, vel eadem potentiores ambias. Ne vero tuâ pecuniâ hostem tibi emas apud Principem, cave, ne thesauris collectis plurimis potentior efficiatur Princeps: itaque si videas eum ad magnificentiam & prodigali-

Suet. in ejus vit. tatem proclivem, ut Nero fuisse fertur, qui divitiarum & pecuniæ non alium fructum putabat, quàm profusionem, sordidos ac deparcos appellabat, quibus ratio impensarum constaret prælautos vereque magnanimos, qui abuterentur ac perderent. Aut

Nicet. in vit. T. IV. H. A. p. 525. ut Isaacius Angelus Imperator Orientis: qui in victu erat sumptuosissimus, & de ferculis distribuebat ijs, qui mensæ adstabant. Mensam omnino Solomoniam aut Sybatiticam habebat, & novis quotidiè, ut ille, vestibus utebatur: nec erat ejus convivium aliud, quàm collis panum: saltus ferarum; piscium mare: vini oceanus: alternis diebus lavacris se reficiebat, pastillis & unguentis omnis generis delibutus, instar pavonis superbi se ostendebat, & ut sponsus è Thalamo, aut ut Sol ab oriente, ita ipse è Palatio quotidiè prodibat. Gaudebat facetiis & mollibus cantilenis: morionibus, scurris, histrionibus, parasitis, mimis, cantoribus palatii fores patebant: inprimis vero immensis substructionibus delectabatur: si inquam, his Imperatoribus similem nactus es Principem; adjuves eundem, ut maximam non tantùm pecuniarum vim suis profundat ministris, tibi potius faventibus (vide ut citra damnum tuum, gratiam majorem quàm Princeps, deportes) sed & amplissimos fundos & prædia: illam vero ex his non recuperare poterit: si verò hæc abalienaverit, reditus minuentur, ut citra oppressionem suorum proventuum summam priorem adæquare & inde potentior evadere nequeat: sin ad avaritiam eum inclinare senseris; uti huic vitio addictus præ

Zonar. in vit. T. IV. H. A. p. 777. aliis fuisse traditur Basilius Porphyrogenitus Imperator Constantinopolitanus; erat certè is prodigiosè avarus & tenax; fertur enim ducenta millia talentûm Auri in thesauris habuisse, nam alterius pecuniæ nullus iniri numerus potuit, adeò ut conclavi-

bus

bus repletis, cum terræ mandarit, an fractibus instar labyrinthorum effossis: si ejusdem ingenii Princeps tuus est, ne sordidus efficiatur, sibi tenax quicquam detrahat, sed ut lautè & prodigè: vivat, ex proventuum amplitudinis pollicitatione persuadeas inde hoc agas, ut exactionibus nimiis subditi exhauriantur, semper eò quæsito summæ necessitatis prætextu: exemplo Alexii Comneni & Nicephori Logothetæ Imperatorum Orientalium, quorum ille cùm bellis exhaustus impensarum egeret, pecuniæ colligendæ rationes ab æquitatis opibus abhorrentes excogitavit. hinc secutæ possessionum ubivis sitarum descriptiones. Hinc vulgares illæ appellationes Hypertimorum & Hyperpleorum excogitatæ: quasi supercensa & redundantia dicas; aliàs alii denique vexationum modi subditorum exhauriendorum causâ reperiebantur. Hic non destitit alia super alia excogitando in jacturam subditorum, quo suæ avaritiæ inserviret. Pauperes militare coëgit, quibus ditiores arma subministrabant & tributa: insuper & quæstores instituit, per quos vectigalia augerentur: hi etiam meliora rerum immobilium à propriis Dominis abripientes publicabant. Excogitavit præterea quomodo profuturum quisque tributum penderet, non sine maxima animi lætitia: à qua quidem pensione non Ecclesiarum cultores, non ptochia & pauperum hospitalia, non gerocomia, ubi senes nutriebantur: non denique monasteria erant salva: sed & qui parvum haberent agellum, qui tenuem victum subministrabat cultori, dare cogebantur avarissimo Principi vectigal. Si quos autem reperit ab egestate ad divitias quâcunque vel fortunâ vel industria evectos, ab ijs veluti reperto thesauro emulgebat quantum potuit: ut non plane iniquum fortassis quis æstimare possit factum ejusdem Imperatoris: quando Cerulario aliquo, de centum libris, quas possidebat, nonaginta sustulit, decem tantum ei relictis: nam quid opus est sudbito magnum pecuniæ cumulum possidere? si habet unde se commodè alere potest, sat est: abscindendæ Rusticis opes irritamenta malorum. Horum omnium vestigiis, ut Princeps insistat, admoneas: ne si maximè primo redituum augmentum percipiat tempore necessitatis conferre &

Ex Glyca Be-sold. H. Constant. p. 238.

P. Diacon. in vit. T. IV. H. A. p. 614. & Cuspinian.

vid. Besold. de Ærar. publ. c. 4. n. 17.

vid. P. Diacon. l. cit.

G debita

debita solvere possint subditi. Cum enim Princeps potentior non efficiatur unâ atque altera exactione ultra facultates subditorum extorsa, ut Fiscus turgescat instar lienis (quod Trajanus simile dixit) ex quo reliqua membra tabescunt & tandem tota Respubl. intereat: sed si divites sint, ut quando aut necessitas flagitaverit, aut per intervalla temporum thesaurum ope subditorum augeri libuerit, semper habeant quod dent: unde promptitudinem suorum subditorum Princeps semper retinet; (aliter egit Romanus Argyropilus Imperator in Oriente, qui obsoleta patrum debita à liberis exegit: inde multi paternis ædibus, & fundis pellebantur, & pristinis opibus spoliati ad insignem egestatem adigebantur) qui verus est modus augendæ potentiæ; quem Alexandrum Severum Imperatorem non ignorasse legimus: qui cum exhaustum & ad maximam inopiam largitionibus redactum ærarium ab Heliogabalo antecessore accepisset, minuendo vectigalia, sola frugalitate opes recuperavit, ut Potentissimum imperium successori reliquerit. Neque fortunis subditorum ita faveas, quin potius eos quoquo modo apud Principem, spe commodorum promissâ exactionibus novorum onerum, censuum impositione exhaurias: præeunte tibi Joh. Puzeno, Imperatoris in Oriente Manuelis Comneni quæstore primario: qui erat ad Remp. gerendam callidissimus, vectigalium veterum exactor acerrimus, novorumque inventor solertissimus; accuratus Quæstor, parcus dispensator, fœnerator atque exactor acerbus. Aut, uti Licinium Julii Cæsaris libertum, quem Augustus dein Galliæ præfecerat, fecisse ab Historicis accepimus: cum enim solerent singulis mensibus à Gallis tributa conferri, ipse quatuordecim menses fecit, ut cumulatius ditesceret. At cum graviter apud Augustum à Gallis eo nomine accusaretur, ac vitæ periculum sibi imminere non dubitaret: ea quæ diu cumulaverat, Augusto dedit, quo mortem deprecaretur. ingeniosum mehercle inventum!

Zonar. in ejus vit. T. IV. H. A. p. 788.

vid. Lamprid. in Alex. Sev.

Nicet. in vit. Man. Com. T. V. H. A. p. 538.

Dion.

§. 51.

Hinc etiam ô Politice! hoc commodum sperandum, ut non solum Princeps semper tuâ ope, tuâ pecuniâ, vel tuis egeat consi-

consiliis, nec facile tibi quicquam ab eo periculi metuendum fiet: sed & tu ipse magnam inde authoritatem tibi paries: in viâ transeunti nemo non loco cedet: tibi optimates & alii obvii venerationem capite manibus pedibusque exhibebunt; & honorifica officiorum oblatione suam promptitudinem atq; inserviendi studium verbosè pollicebuntur. Sique inveniantur homines simplices, pessimè de te propter hoc judicantes, tu Franciscum I. Regem Galliæ imitare; is enim quum ob grave tributum subditis impositum multorum voculis palàm proscindi se audivisset, quibusdam ad læsæ hoc Majestatis crimen pertinere & acerrimè vindicandum dicentibus, finite illos, inquit subridens, pro argento suo quod volunt loqui. Dic potius cum Poeta nescio quo,

Besold. de Ærar. Publ. c. 7. n. 3.

Caspar. Eus. pidorp. l. 2. p. 32.

——Populus me sibilat: at mihi plaudo
Ipse domi, simul ac nummos contemplor in Arca.

§. 52.

Si verò incideris in ejusmodi Principem, qui in suorum salutem pronus & damno subditorum commodum sibi comparare nolit, cui Tiberii Cæsaris Apophthegma in ore: Boni pastoris esse tondere pecus, non deglubere: hunc artificiosè à curâ regendæ Reipubl. & justitiæ administratione, dein Oeconomica avoces, ijs actionibus ad quas naturâ proclivem animadvertis: vel conjugem ambias (cum mulierculæ avaræ potissimum sint, & spe utilitatis maximè, ut dixi, moveantur) illique ut Principem blanditiis persuadeat, auctor sis. Hæc vero omnia effectui dare facile poteris, si nactus fueris Principem bonum & probum nimis, qui ex suo ingenio alios judicans, omnia tibi & in perniciem Reipubl. pro lubitu suadenti credet. Verum si ingenio Francisci I. Gallorum Regis acerbior fuerit, qui suo consilio potius, quàm ejusmodi Politicorum salutem suorum procurare velit, ut facile opibus potens efficitur, ita difficile erit Politico, sub eo Principe perpetuam sperare fortunam, ut non ab inclementia & odio ejusdem evertatur.

§. 53.

Alia ergo viâ, ut perpetuum suis consulat, rem aggrediatur, &, quod paulo ante dixi, Principes potentiores viva operâ pecuniæ devinciat: ut si Princeps tibi infensus periculum minitetur, alio defensionem & patrocinium quæras. apud Reges scil. ut vel intercessione tibi patrocinentur, vel datâ occasione defensionem tui suscipiant. Si verò tam faventem habeas fortunam, ut tu non tantùm divitiis maximis potens evadas (id quod sub probo & incauto Principe fieri potest) sed etiam familiæ tuæ præcipuos ac similes fortunas promovere possis; (cave tamen te potentiores sint, ne, quod tu aliis, ipsi tibi faciant) ut ita periculum tibi minitantibus, te vi opponere, &, si usus postulat, in seditionibus (quarum aliquando auctor prudens Politicus existit) alios opprimere possis, ut etiam Principes te metuant; quod probè observavit Dux Gallus Espernonius, qui Henrico III. Regi inter intimos, Henrico IV etsi suspectus, inter Regni præcipuos habitus, fortunam ita faventem & quasi in vinculis habuit, ut non ausus fuerit (præfatus Henricus IV.) subvertere ingenti mole Colossum, cujus ab immani casu timebatur strages. Tutior itaque hæc videtur via contra Principis iram & persecutiones defendendi, quâ & aditus ad aliam vitæ monstratur conditionem, quod Medicæam familiam inter Italos fecisse non sine successu legimus & in historiis exempla testantur, quàm periculosum sit potentes persequi, & in exilium agere. Pro multis sufficit apud Romanos exemplum Catilinæ; qui pulsus Româ civitatem evertisset, nisi inopiæ vires ejus & libidinem fregissent, cum maximo tamen urbis & multorum civium damno.

Gramond. H. G. l. 3 p. 227.

vid. Salust. Bell. Catil.

§. 54.

Dixi paulò ante, in elocandâ pecuniâ nec usurarios nec fœneratores Politicum imitari debere; id enim præterquam quod vulgatum & odiosum sit, animumque & ingenium sordidum indicet, parum adfert commodi. Itaque hoc agas, ut loco usurarum hypothecam fundi fertilissimi & variorum

com-

commodorum aptissimi cum usufructu tradat Princeps, donec sortem tibi reddere possit: præcave autem, ne aut citò possit reddere, aut tibi perannos certos excolendus fundus sine impendio concedatur: vide sis ut per ministros ejus loci, vel incuriâ, vel negligentiâ, vel astutiâ, reditus minuantur maturè, antequam de isthoc fundo cogitasse videaris, ut factâ inquisitione usuris non adæquati reditus inveniantur; aut per ministros extenuentur ut tu plus beneficii in Principem tulisse, quam percepisse utilitatis videaris. Non autem verus modus est augendi reditus, & usumfructum majorem percipiendi, si servitia rusticis majora imponas, aut censum augeas, præterquam enim, quod tibi offensi reddantur, & causam, apud Principem conquerendi, de te habeant, exhauriuntur subitò, ut planè deinceps deficiant: sed hoc agendum ut amorem concilies humanitate & affabilitate, quod maxime rusticos movet, & liberales promptosque efficit, ut, quod debitum denagarent coacti, spontaneo dein faciant motu: itaque multa prædia instruas, blandis verbis invites primò, quando servitia impones, donec assuefacti jure ad labores adigi possint. Deinde proventus rusticorum tu ipse emas, quos majori pretio divendere vel per te, vel per alium, & inde lucrum maximum percipere possis.

§. 55.

Vltimò non negligenda tibi vitæ domesticæ cura, ne opes & divitias largiter profundas, nec tamen sordidè vivas, quod maximè cum magnanimitate & heroica virtute (quæ homini Politico simulanda sunt) pugnat. Itaque cum Officiariis & ministris adstrictioribus per alios agas, ut necessaria esculenta mittant tuo nomine viliori pretio empta, vel alio modo comparata; tu tamen pecuniam nunquam restituas, neque illi repetere audent, quin gratulantur sibi, si hisce exiguis gratiam tuam mereri possint; Idque cum plurimi sint, modo ab hoc,

modò ab alio obtineas: quod optimè obſervavit ſupra allegatus Johann Puzenus: qui in re familiari augendâ adeo providus erat, ut eſculenta, & piſces maximos ac pinguiſsimos ſibi miſſos, ter aliquando in foro venditos toties reciperet ab aliis redemptos, qui operâ ejus egebant: ita pro piſcatoribus erant ei piſces ſorte commutatâ, quibus magnitudo pro hamo, pinguedo pro eſca erat: itaque prætereuntes ad emendos attrahebant. Ac Conſiliarius Primarius (nomen non exprimitur) Iſaaci Angeli Orientalis Imperatoris, qui adeò mercatorio ingenio erat, tam inexplebili accipiendi famc flagrabat, ut non aurum duntaxat & veſtes acciperet, ſed & alia minuta quoque uſque ad pepones & cætera eſculenta, & omnis generis poma. Non negligenda etiam culina, cereviſiaria, cella vinaria Principis, quæ non magni æſtimantur; unde ſine impendio tuo lautè vivere tuisque reditibus optimè conſulere poteris.

Nicet. in vit Man. Comn. T. V. H. A. p. 533.

Id. in vit. Iſaac. Ang. T V. H. A. p. 524.

§. 56

Ad modum prædictum meo judicio rectè Homo Politicus (quoad fortunam propriam) ſibi conſulit. Hoc unum tamen monendum, ſi tibi ſint filii aut filiæ, illos maturius ijs artibus formandos tradas, has vel divitiis potentioribus vel præcipuis familiis eloces, qui utrâque fortunâ præſtò tibi eſſe, vel tuos promovere poſsint.

§. 57.

Sicque hoc meum Politicum Compendium finio: Teque ô Politice future! rogo, oro, obteſtor, ſi tibi rectè conſulere, & te à periculo præſentiſsimo immunem reddere volueris, ne tu ulli credas, ulli fidas, ulli quidquam operæ præſtes, niſi utilitatem inde percipias: omnia ſimules diſsimulesque, ſtudioſè animum aliorum explores, tuum recondas abſtruſiſsimo etiam loco, aliis ex inſidiis potius ſis, quàm te ipſum perdas: Fidus enim hodiè cum nullus ſit, cur tu fidem præſtes aliis? Cur aliis cum tuo damno gratificeris opellam? Cur tu animum alicui credes, qui ab aliis tibi metuas potius, quàm fidos opineris? ſi in hiſce paucis erratum quidquam videatur, ut facile fieri poteſt, corrigas quæſo. Multis certè hæc Politica præcepta maximum ad ſummum honoris dignitatisque faſtigium conſequendum, &

maxi-

maximas divitias adipiscendas profuere: & idem tibi tuisque contingat, opto. Promisi hæc præcepta Politica illi, qui ad altiora adspirare cupit, ut Dominatum mutatâ Republ. adquirere potius, quam aliis servire velit, verum cum hæc scriberem, animum mutavi, ut animum tuum explorarem: idque feci tui causâ, ut videres certissima hæc fuisse aliorum exemplo, quæ tuo experieris periculo. Hisce vale, iterumque vale, & mihi fave, tuis fortunis studiosissime!

Hæc quicunque legis, ne decipiaris Amice:
Sunt mala mixta bonis, & bona mixta malis.
Florilegas cautè quæso sequaris Apes

F I N I S.

APPENDIX.

AMicissime Lector, ut omnium quæ in Politico meo dicta sunt, perfectissimam ideam & absolutissimum Exemplar habere possis, Appendicis loco Lucium Septimium Plautianum in scenam producere proposui: Hic Genere Afer & Imperat. Sept. Severi municeps, ex humili fortuna in tantam potentiam evectus est, ut ipsi etiam Imperatori videretur imperare; quacunque incedebat, adeò trux & horribilis erat, ut non modo non adiretur à quoquam, sed etiam qui fortuito occurrebant, ab eo averterent oculos, quia ante ambulones aliquot denunciabant, ne quis in proximo consisteret, neve illum contueri auderet, sed averterent universi oculos, terramque despectarent: ex damnatorum bonis tam immensas sibi divitias acquisiverat, ut sua ætate omnium hominum potentissimus atque ditissimus haberetur, opibus enim Imperatores antecedebat, dotemque filiæ suæ (Uxori Imperat. Antonini, Severi filii) dederat, quæ vel quinquaginta Reginis satis fuisset, omnes eum magis quam ipsum Principem metuebant, spe enim multo majore elatus erat, imò de eo dicebatur: cœlum ruere citius posse, quàm Plautiano ab Imp. damnum inferri. Sed cum Severo & Antonino A A: cædem

Ex Herodian. Spondan. Annal. Eccles. A. C. 206.

cædem machinaretur, ab eodem Genero suo Antonino Romæ occidebatur in Palatio, corpusque projiciebatur in viam, quod tamen Severus efferri ac sepeliri jussit, & ejus nomen ex omnibus tabulis atque inscriptionibus abradebatur atque expungebatur. Ita vixit, ita finiit Plautianus; tibi vero, mi Politice, similem quidem cum eo fortunam, pares divitias, eandem potentiam, sed meliorem lætitioremque finem iterum iterumque opto.

Vale.



MONITA PRIVATA SOCIETATIS IESU,

Edita operâ ac ſtudio

PACIFICI A LAPIDE.

Unà cum Prooemio, Notis ac Epilogo ejuſdem.

COSMOPOLI. Anno MDCLXVIII.

MONITA PRIVATA SOCIETATIS JESU.

PROOEMIUM.

Benevole Lector. Miraberis forsan, ac quæres, cur Præsens Scriptum, seu Monita Privata Patrum Societatis, publici juris faciam, & per hanc evulgationem ordinem illum Sanctum non tantum Hæreticorum dentibus erodendum, verùm & apud nostræ Religionis h. e. Catholicos homines deridendum proponam? sed audi! Politicus meus, quem paulo ante disserentem vidisti, in illius Scholis prima sua artis fundamenta edidicit, (primum venenum pæne dixissem imbibit) nonne ergò æquum, ut, an illi, quod alios docent, ipsimet observent, scias? Plurima quidem jam adversus præfatum ordinem scripta, quorum tamen vix paucissima non ex innato erga illum odio, vel ab Hæreticis conficta, vel à Catholicis malevolis asserta, typis evulgata fuere; sed ut omnia istiusmodi farinæ tanquam ex nimia partialitate (ut sic loquar) profecta rejicienda, ita econtra, quæ vera esse totus orbis Catholicus mecum affirmat, diutius tacenda religionem duxi: Unusquisq; maximoperè scire avet, quibus Principiis tàm desiderata in Ecclesiasticis & Politicis adstruenda Monarchia Jesuitarum innitatur, quæ Regulæ ab iis observentur, sæpissimeq; in privatis hinc inde habitis discursibus ipsemet à viris magni nominis audivi, nec ullum imperium, Regnum ac Rempubl. sub Sole esse, cujus forma ac Modus Regiminis non aliquo modo investigari possit, sed Jesuiticæ administrationis fundamenta Arcana, neminem unquam revelasse, imò nec eos, qui per plures annos in illa Societate vixerint, & vel illam deinde reliquerint, vel illi insimulq; Religioni Catholicæ valedixerint, ne verbulum quidem ad informationem qualem qualem aptum aut libris, aut sermonibus protulisse aut evulgasse. Verum hoc quidem est, optandumq; foret, ut omnia usq; ad mundi finem in extremis Collegiorum, quæ in India, Chinâ,

 Jappo-

Japponiâ se habere Patres Societatis gloriantur, angulis tecta obrutaque mansissent sed nimius eorum in reditibus per fas nefasq; augendis ardor, insatiata nummorum ac bonorum temporalium acquirendorum libido, & flagrantissimum Secretorum omnium Consiliorum Politicorum noscendorum desiderium aliquo modo viam quasi monstrarunt, quâ ad basium, quæ hanc ingentem machinam hactenus (sed quam feliciter & ad salutem Regnorum?) sustentant, notitiam perveniri potest; ex fructu cognoscitur arbor, docent id Monita Privata Societatis, quæ hactenus nunquam quod sciam lucem viderunt sed intra privatos Collegiorum Parietes latitarunt, tandem vero singulari DEI beneficio in manus aliquot Ecclesiastica dignitatis virorum, qui prima apud Patres fundamenta, in eorum hinc inde erectis scholis publicis, eruditionis jecerunt, pervenerunt, è quorum liberali communicatione illa descripsi & quod sanctè testor fideliter, nec ulla literâ additâ vel detracta, jamq; publico bono cum notis, hinc inde brevibus adjectis (si enim pro dignitate materiæ monita hacce Privata annotationibus illustrare voluissem, justam volumen scribere opus fuisse) in lucem dare destinavi, ut quilibet Reverendos illos Patres in arte Politica cæteros ferè omnes tam Ecclesiasticos quàm seculares si non superare tamen maximè æquare satis superq; perspiciat. Qui in locis ubi sibi non tantum in Spiritualibus sed & pro more in Politicis Jesuitæ directionem arrogant, moratur, talia videt, quæ vix alibi centesimus credat omnes Principes, quibus illi à Confessionibus sunt [illegible] eme ut pueri in scholis, modo, ab illis tractantur, omnia Consilia negotiaq; pro lubitu apud eos disponunt, amo quam maximè laborant, ut nec ullus ad ullius Principis servitium perveniendi spem habeat, nisi Jesuiticum sit mancipium dico quod res est, sicq; illi Patres re vera, Principes vero titulo tenus tantùm regnant; observant hoc quidem multi, gemunt, suspirant, nec tamen mutare queunt, imo si ii im ac illi animadverterint, esse qui eorum actiones Consiliaq; pe[illegible] ac[illegible] are velit, hunc omnibus modis seu [illegible] seu il[illegible] eu ever[illegible] cupiunt, hinc nec [illegible] præ timore hiscere audet. Novi [illegible] semel Ministrum quondam aliquis in Germania Electoris Potentissimi, qui Tractatum illum Germanum sub nomine [illegible] Treuniar. anno 1640 excusum penes se nec a inclusum habebat, cumq; in quedam discur-

[illegible]

dis[illegible]rsu mentionem ejus ha[illegible]t, egoq; ut mihi ad [illegible] com- municaretur, rogassem, abnuebat primo, se enim pro certo [illegible]je- bat, si nossent Jesuitæ eum non tantum penes se habere, verum & alte- ri communicare velle istum libellum, excommunicationis fulmen haud dubie incursurus esset, neq; poteram aliter ab eo impetrare, nisi sub hac cautione, me nec ulli unquam aut libellum ostensurum, aut quod in ipsius ædibus reperiretur indicaturum. Quid mirum ergo, si quilibet, ne sub tale servile & Tyrannicum Jesuitarum jugum redi- gatur, sibi præcavet? optimè perpendit hoc Reverendissimum Capi- tulum Ratisponense, quod bis sede Episcopali vacante nunquam in Electionem Reverendissimi ac Serenissimi Alberti Sigismundi Epi- scopi Frisingensis D. Bavariæ ad Episcopatum Ratispon. (licet Princeps eo quam maximè adspirabat) consentire volebat, quia ejus à directio- ne unica sui Confessarii P. Marquardi (è familia ab Ebingen) Iesui- tæ dependentiam non ignorabat. Utinam tandem Principibus ipsis aperiantur oculi, & suis Confessariis extra Confessionis limites Politi- cis se immiscere negotiis non permittant, tutius hercle & longè secu- rius Regimen se habituros esse re ipsa experientur, vel si Patres So- cietatis in ordinem se cogi non sinant, id agant, quod Serenissimum Ma- ximilianum Philippum Ducem Bavariæ ante annum heroicè (ut in omnibus non minus quam prudenter fecisse testabitur Monachium, imo tota Bavaria & jam orbis universus, valedicant nimirum non tantum Confessariis, sed & toti Societati, qui simul addebat, se inpo- sterum nec ullum unquam è Iesuitis Confessarium admissurum, vos ceteri Imperatores, Reges, & Principes Catholici, insistite hujus Generosi Ducis vestigiis, & salvi eritis quoad Personas, salva erunt [illegible] a Imperia, Regna & Principatus. Doleo equidem, dum ista [illegible], sed quia Patres Societatis à Primi funda[illegible]oris S. Ignatii lauda[illegible] & optimo instituto recedere nõ erubescunt, cur non dicã ea, quæ [illegible] tas exprimit, magnâ licet optimè noverim hac scriptione gratiam aut munuscula aut promotionem ad dignitates mediantibus [illegible] non asse- quuturum; at non curo, nihil boni ab illis accepi, nihil mali mihi fa- cere possunt calumniantia illarũ labia non horreo, edoctus a P. Radero vol. 2. Bavar. S. im[illegible]proborũ calumnias laudes esse proborũ, nam priva- tam vitam ago, illorum ope, favore, aut patrocinio non egens, Nam

 stet

Stet quicunque volet potens
Aulæ culmine lubrico;
Me dulcis saturet quies,
Obscuro positus loco
Leni perfruar otio:
Nullis nota Quiritibus
Aetas per Tacitum fluat.

& si ad Aulicum aliquod servitium vocationem obtinerem, mihi arrideret, civiliter & Politicè (uti antehac semper consuevi) cum illis vivere proposui. Interim ex edictis hisce monitis privatis maximam Iesuitarum cum Politico meo conformitatem in vita & moribus percipies, ea si tibi non arrident, & fortassis falsa pro veris me tradidisse autumas, scias me has merces sic ab aliis emptas tibi syncerè iterum vendidisse, sique ego istique decepti sumus, memento, totius Politices ac ordinis Societatis praxin hodiernam in hoc puncto consistere, ut mundus decipiatur; Si tamen certiora & meliora edoctus fuero ea publica re in usum tuum non præteribo. Cur verò sub ficto nomine hæc monita publici juris fecerim, si quæris, in eo Iocosi Severi Medii (quem vel Religiosum è societate, vel unum ex ejusdem clientibus fuisse, vel jussu Societatis scripsisse volunt) contra P. Valerianum M. Capuccinum Anno 1653. scribentis vestigia sequutus sum, quia sic placuit, aliàs malis bonisq; æquè notus vivo. Hisce vale, iterumq; vale, ac sanctam Societatem amare, Socios verò tanquam membra putrida abhorrere perge.

MON-

MONITA PRIVATA SOCIETATIS.

MONITUM I.

Qualem ſe Societas præſtare debet, cum de novo incipit loci alicujus fundationem?

VT ſe gratam & acceptā præbeat in colis loci, quem non ita pridem ſuſcepit, multum ad hoc conducet explicatio finis Societatis, præſcriptus in Regula II. Summarii, incumbere in ſalutem proximi æquè ac ſuam. Quare humilia obſequia obeunda in Xenodochiis, & jacentes inviſendi, ad confeſſiones excipiendas quorumcunque, & ad loca diſtantia eundum, (*a.*) Eleemoſynæ conquirendæ, dandæque pauperibus aliis videntibus, (*b.*) ut ædificati facto noſtrorum, ſint in nos liberaliores. Modeſtiam exteriorem ita omnes ediſcant, ut illa alios ædificet, delinquentes è noſtris ll. ob id dimittantur.

(a) Hoc jam mutatum eſt, nam Rhedis & Equis vehi commodius viſum Societati. *(b) Secundum illud Salvatoris Matth. 5. Luceat lux veſtra coram hominibus &c. Charitatem vero Ieſuitarum erga pauperes ſatis ſuperq́; teſtantur Hoſpitalia cum appertinentibus reditibus à Societate hinc inde occupata.*

MON. II.

Quid factu opus eſt, ut Principum & Magnatum intima familiaritate potiamur?

Conatus ad id maximi ſunt adhibendi. Experientia docuit, Principes tunc affici Spiritualibus & Eccleſiaſticis Perſonis, quando odioſa facta eorum non apertè reprehenduntur; (*a*) Cernitur id in Matrimoniis contrahendis Principum cum ſibi affinibus. Quæ Matrimonia magnam habent difficultatem ob vulgi opinionem, qui tales execratur thoros. Itaque cum hæc & talia affectant Principes, animandi ſunt, aſſecuturos eos, quos volunt: Explicentur rationes, quæ illorum deſiderium augeant, videlicet Matrimonium hoc fore cauſam majoris vinculi & gloriæ

(a) Si hoc feciſſet S. Iohannes Baptiſta, vitam non perdidiſſet.

gloriæ D E I (*b*) Sic dum Princeps aggreditur aliquid faciendum, non æquè omnibus Dynastis gratum, videlicet si bellum movere vult, tunc ejus voluntas juvanda, & constantiæ monenda, permovendusque animus (*c*) Primoribus Regni insinuent, persuadeantque, Principis voluntati parendum esse, non tamen ad particularia descendant, ne nobis imputetur; (*d*) si tamen objiciatur, citentur generalia monita, id nobis prohibentia (*e*) juvabit ad contrahendam familiaritatem Principum, obire legationes in matrimoniis ipsis gratis. Per munuscula vincendi intimi Principum, (*f*) ut fideliter instruant nostros de moribus & humoribus Principis, quibus rebus delectetur, quis sit sibi modus placendi (salvo tamen jure virtutis & conscientiæ) & occasione habitâ insinuent se in animos Magnatum & Principum. Si careant uxoribus, proponantur illis virgines in matrimonium, quæ cum suis Parentibus nostris sint addictæ, iisque virgines depingantur laudum coloribus, quibus eas depingi vellent ipsimet Principes. Sic enim fiet, ut per uxores, aliàs alienos nobis amicos reddamus. (*g*) Docuit hoc experientia per Domum Austriacam in Regnis Poloniæ, Galliæ, cæterisque Ducatibus & Ditionibus. Fœminæ ne mutent animos, aut de suo favore in nos remittant, seriò inculcetur illis amor in nostram Societatem, tum per nostros, tum per eas famulas, quæ nobis sint addictæ, quæ variis officiis & munusculis in amicitia conserventur, sic enim Secretiora suæ Dominæ, & ea quæ nostros scire oportebit, evulgabunt. (*h*) Sequantur in conscientiis Magnatum regendis eorum

(*b*) *Ex hoc Principio haud dubiè Carolus Archidux Austriæ, hujusq; filius Ferdinandus II. Imper. & Abnepos Leopoldus I. Imp. Philipp. V. R. Hispan. ac Ioh. Casimirus Rex Poloniæ viduam fratris Regis Vladul. ac Maximilianus Elector Bavariæ filias sororum suarum Germanarum.* (*c*) *Prout in Germania, Gallia, Polonia ab ipsis factum.* (*d*) *Id est, ne pro incendiariis habeantur.*

(*e*) *Quia Reipublicæ Iesuiticæ Arcana specialia tanquam Margaritæ Porcis non objicienda & aperienda sunt.* (*f*) *Per munuscula intimi Principum sunt devinciendi, non per munera, nam Iesuitæ non in usu habent munera mittere nisi diminutivi generis.* (*g*) *Praeunte Diabolo, qui ad seducendum Adamum Evâ tanquam optimo ac aptissimo instrumento usus est.*

(*h*) *Ingeniosum mehercle inventum!*

Aucto-

Auctorum ſententias, qui liberiorem faciant conſcientiam (*i*) contra Monachorum opiniones, (*k*) ut illis rejectis, noſtras ſequantur, & à noſtra directione & Conſiliis dependeant. Quare tàm ad Principes & Magnates quam Prælatos conciliandos, juvabit eos facere participes meritorum noſtri ordinis, habere amplas facultates abſolvendi à peccatis reſervatis & cenſuris, diſpenſando in jejuniis, debito reddendo, matrimonii impedimentis & aliis votis. Invitentur ad Scholas noſtras, ſalutentur Carminibus, (*l*) inſcribantur illis theſes. Si expedit, in triclinio tractentur, (*m*) & ſi qualitas Perſonæ expoſcat, variis linguis ſalutentur (*n*) tempore menſæ à noſtris fratribus, inimicitias inter Magnates componant. (*o*) Quod ſi Monarchæ nobis addicto ſubſerviat vir aliquis Primarius à nobis alienus, promittatur ei favor & honores conferendi ad noſtrorum inſtantiam. (*p*) Denique ita Societati curent affectos eſſe Principes & Magnos Dominos, tum Prælatos, ut pro eâ contra affines & ſibi charos agant, nec dimiſſos à Societate ullo modo promoveant. Deferendos honores Primatibus ominentur, delatos gratulentur libellis Carminum per Studioſos in primo ingreſſu loci, ubi exercenda erit jurisdictio.

(*i*) *h.e. qui approbant ejusmodi nequitias* (Bubenſtücklein.)

(*k*) *Monachi enim non capiunt verbum hoc, nec intelligunt rationem Status.* (*l*) *Adulatoriis, addendum fuiſſet.* (*m*) *Sed nullo cibo potuque, Philtro, aut veneno mixtis.* (*n*) *Aſt non ſalutatione Ioabicâ aut Iſchariotica.*

(*o*) *Hujus artis peritiſſimi Artifices ſunt Ieſuitæ, eamque tam familiarem ſibi reddiderant, ut ſatis explicari non poſſit, ſcil.* (*p*) *Imò niſi Ieſuiticum fiat mancipium de fortuna ejus actum erit.*

MON. III.

Quid curabunt Domini pro nobis, dum pecuniâ deſtituuntur, multa tamen ſunt auctoritatis in Republ. & aliis modis nobis prodeſſe poſſunt?

Tales Domini ſi Sæculares ſint, curanda apud ipſos gratia & auxilium contra adverſarios noſtros, favor ad lites forenſes, auctoritas & prudentia coemptionis pag. dom. hortorum area-

rumque pro extruendis Societati nostræ domiciliis, in illis præsertim civitatibus, quæ nostros nolunt habere. (a) Fideles Domini conciliandi, ut mitigent, imò compescant furorem hominum notæ inferioris, nobis nihil cooperantibus. (aa) A Spiritualibus verò, ut Episcopis, Archiepiscopis, pro diversitate Nationum id exigendum, quod rei opportunitas ostendet (b). In quibusdam partibus curandum est, ut Prælati & Parochi ipsius subditi nostros revereantur, nec impediant monasteria nostra, in aliis partibus plus. Nam in Germania & Polonia magna est auctoritas Episcoporum, qui parvo labore, collatâ re cum Principe, Monasteria, Parochias, Præposituras, aliasque fundationes &c. nobis possunt attribuere, contentione quacunque factâ, Sacerdotibus sæcularibus, (c) quod in iis locis assequi possumus, ubi Catholicis & Hæretici & Schismatici sunt permixti, ostendaturque Episcopis magnum fructum ex hac ratione facturos, quem à Sæcularibus Sacerdotibus & Monachis præter tantum expectare non possunt. Laudetur Zelus eorum, inculcetur facti memoria perpetua. Tales autem fundationes, ut succedat Societas in beneficia sæcularium Sacerdotum, per eos Episcopes assequentur facilè, qui & confitentur nostris & à directione nostrâ dependent, & sunt in expectatione ad altiores gradus Episcopatus opulentioris mediantibus nostris. Tam autem apud Episcopos quam Principes curent nostri, ut dum fundant nostra Collegia ad Parochiales Ecclesias, nostri quoque soli sint, qui habeant jus conferendi perpetuum cum cura animarum; Ipse superior loci pro tempore existens erit Parochus, totumque Regimen Ecclesiæ nostrorum sit per eosdem (d). Curabunt extructiones Collegiorum in locis ubi sunt Academici, nostris repugnantes, vel Catholici aut Hæretici Cives, fundationes nobis in suis Civitatibus prohibentes. Illi iidem curabunt pro

(a) Haud mirum videri debet, quasdam [illegible] Civitates, quæ nolint habere Iesuitas, ubi enim semel pedem [illegible] vix e[illegible] ut de [illegible] eradicari possint.

(aa) Archiepiscopos tamen aliis urgentes nunquam [illegible] persuadere potuit, ut vel Domicilium vel Collegium in Archiepiscopatu concederent.

(b) Palam, sed clam. (c) Hoc infinitu in loco practicarunt.

(d) Et hoc quàm felicissimè assequuti sunt.

nobis

nobis Cathedras Concionatorias in civitatum nobilium Ecclesiis præcipuis (*e*). Siquidem agitur de Beatificando aut Canonizando nostro, Magnatum operis promovendum erit negotium apud sedem Apostolicam. Si ex iisdem Dominis contingat legationem obire, ne cognitis aliis religiosis, qui nobiscum symbolizant, ad eos affectum transferant, & in Provincias inducant, in quibus emanemus. Quare si transeant Viri Illustres per Provincias, ubi sunt nostri, excipiantur ad Collegia, & pro modestia religiosa tractentur. (*f*)

(*e*) *Etiam in hoc puncto Iesuitis ubique ferè locorum satisfactum.*

(*f*) *Delicatissimis nempe cibis bellariis* (Schleckerbißlein) *& vinis selectissimis.*

MON. IV.

Quæ commendata esse debent Concionatoribus & Confessariis Principum & Magnatum?

Vt directiones Regum & Principum Virorumque Illustrium rectè per nos instituantur, omnimodè ita eos dirigant, ut sua directio tendere videatur (*a*) ad Conscientiam, quam ipsi Principes concredunt. Non statim autem, sed sensim spectare debet directio ad gubernationem Politicam externam. (*aa*) Quare sæpè inculcent Principibus distributionem honorum & dignitatum in Republica spectare ad justitiam, graviterque DEUM offendi, si contra eam à Principibus peccetur; se tamen nolle ingerere ad ullam administrationem Reipublicæ, & hæc se invitos dicere ratione sui officii. Quod ubi apprehenderint Principes, explicetur ipsis, quibus virtutibus præditi esse debeant assumendi ad dignitates Reipubl. commendationis capita sumantur ex amicis Societatis nostræ, & ex iis viris, quos expedit pro bono Societatis promovere, quos per se non nominent Principi, sed per intimos Amicos Societatis nostræ & Principis (*b*). Quare Concionatores informentur à nostris, qui in quavis parte illius Domini sint viri, qua virtute, potentiâ, divitiis, liberalitate in nos, hominum notitiam apud se habeant, notitiamque eorum faciant Principi, dextrè eos commendando, ut facilius oblatâ occasio-

casione promoveantur à Principibus, illi, quos olim sibi laudari à suis Confessariis & Concionatoribus audierant. Meminerint Confessarii & Concionatores Principum, suaviter eos tractare, nulla ratione perstringere in Concionibus aut privatis Colloquiis. (c) Confectiones, Aquas distillatas modicè acceptent (d) quod usu privato parvo pecuniâ sint contenti. Dum sunt in Palatiis, ad abjectiora se cubicula conferant, (e) prudenter inculcent Principibus, ne vel toto ungue discedant à Concilio Spiritualium Principum. Curent sibi significari quam primum Officialium Reip. mortem, & de substituendis maturè cogitent, agantque, ut se suspicione eximant evertendi Regiminis, (f) nec amicorum causas apud Principes promoveant per se, sed aliis potius comittant. (g)

(a) Licet in veritate Rei toto differat cœlo. (aa) Secundum illud, successivè fit motus, nam aves non capiantur fustibus; Hinc vides à gubernatione Politica non abborrere sanctissimos Patres, imò unicum verè scopum eu esse, Politicis se immiscere negotijs, si enim hoc intermittere potuissent, nunquam a Gallis Venetisque ejecti fuissent, utrisq; quidem in locis iterum sunt recepti, sed durioribus, quam antea sub conditionibus, inprimis à Veneta Republ. Lubet in gratiam Lectoris hoc loco apponere, quæ tempore receptionis Anno 1657. lingua Italica & Latina in schola Pasquini Romæ exarata, ab Illustri manu mihi communicata fuere.

Pasquinata per la liberatione del bando de Gesuiti.

Il Pape dice al Senato Veneto:
Ignosce illis.
Il Senato Veneto rispondi al Papa:
Pœnitet me peccasse, cupio emendare quod feci, fiat voluntas tua.
Li Gesuiti dicono al Papa.
Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.
Il Nuntio da Secreto al senato Veneto.
Clamavi & eduxisti me.
Venetia al Nuntio.
Hic accipies benedictionem à Domino.
Venetia di Crociferi.
Cuncti ibant & flebant.
Venetia di Petri di San. Spirito
Thesaurizat & ignorat qui congregabit eos.
Li Gesuiti di Venetia.
Locati sumus pro annis quibus humiliati, pro annis quibus vidimus mala.
Tutti li fratri di loro.
A Domino factum est hoc, & est mirabile in oculis nostris.
L' inquisitione & il Re di Spagna à Gesuiti.
Ite & interrogate diligenter & renunciate mihi.

Li Gesuiti respondono a loro.
Quodcunque volueritis, petetis & fiet vobis.

Li Teatini per la Venuta de Gesuiti.
Ipsi stridentes, sic admirati sunt, conturbati sunt, commoti, tremor apprehendit eos.

Li Gesuiti à Theatini.
Ait latro ad latronem, nos quidem digna factis recipimus.

Li Gesuiti alli Crociferi & à quelli di San. Spirito.
Ipsi ceciderunt, nos autem surreximus & erecti sumus.

Li Sammarchi à Gesuiti.
Vnam petij à Domino, hanc requiram, stat in Domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. Et vos omnes qui transitis per viam attendite & videte si est dolor similis sicut dolor noster.

Li Dominicani.
Non est nobis colluctatio adversus carnem, sed adversus Principes & Rectores Mundi.

Li Padri di San Salvatore.
Salva nos, perimus.

Li Padri della Carità.
Si charitatem non habeo, nihil sum.

Li Padri della Madonna del Horto.
Veniet dies magna, amara valdè

Li Padri di San Sebastiano.
Si possibile est transeat à me Calix iste.

Li Padri di San. Spirito.
Ecce nos relinquimus omnia.

Li Maestri e Pedanti.
A subitaneâ & improvisâ morte libera nos Domine.

Li Gesuiti à Don Diego Commorante à Venetia echero Gesuita.
Vbi te invenero, ibi te judicabo.

D. Diego à Gesuiti.
Quo ibo a Spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam, si ascendero in cœlum, tu illic es, si descendero in infernum, ades.

(*b*) *Vnico verbulo hæc omnia comprehendi potuissent, si dictum fuisset, ut promovendus Iesuiticum fiet mancipium, cui nil loqui, nil cogitare, nil agere, nec edere nec bibere, nec dormire (præterquam naturam exonerare) concessum, nisi ex mandato ac ad beneplacitum illorum.* (*c*) *Si hoc attentasset Michæas Propheta, non audire coactus fuisset hanc vocem, vade in aliam terram.*

(*d*) *Præterquam in jejunio quadragesimali, quo tempore ad confortationem stomachi (ob abstinentiam carnis debilitati) istiusmodi maximè serviunt.*

(*e*) *Adea scil. ubi nec Principes mansionem habere dedignarentur.*

(*f*) *Puerorum instar in scholis, quibus à Præceptorum suorum jussis secedere severissimè prohibitum, aliàs virgis cæduntur.* (*g*) *At quod quis per alium facit ipse fecisse videtur, modò omnia fiant ne sentiant rustici.*

Appendix ad Not. Monit. IV. (*aa*)

Absolutis jamjam notis ad Monit. IV. incidi infortunita evolutione chartarum mearum in Orationem Legati Regis Galliarum Ludovici XIII. habitam coram Senatu Veneto pro Jesuitis, quam quia non omnibus notam esse novi, unà cum Responsio-

ne Procuratoris S. Marci, Appendicis loco addere placuit; sic autem infit.

Oratio Legati Regis Galliarum ad Senatum Venetum pro Jesuitis.

Serenissime Princeps, Patres Laudatissimi, Magnificentissimi, Christianissimi Regis legatione mea expedita, unum à vobis peto, ut me pro Patrum Societatis Jesu restitutione orantem clementissimè audiatis. Honestati autem maximè illam inservire, Catholici omnes uno ore loquuntur, stante enim illo ordine, stabit Pontificis Maximi autoritas, Conciliorum integritas, Resp. sanitas, imo totius orbis Christiani fundamentum. Quis enim ordo Majestatem Pontificis Romani contra Hæreticos Græcos & Germanos acrius defendit, animosius tutatus est? Jesuitarum. Quis autoritatem Conciliorum D. Petri Cathedræ subjecit? Jesuitarum. Quis Sereniss. hanc Remp. in Cœlum extulit? Jesuitarum. Quis Religionem avitam (taceo cæteras artes & scientias) qualis ab Apostolorum tempore extitit ad sanguinis usq; profusionem, restituit, reparavit, illustravit? Jesuitarum. Quis hæreses gliscentes extinxit, rebelles sedavit, & Ecclesiam Catholicam pristino pene nitori restituit? uno verbo, Jesuitarum. Quare pro antiqua vestra prudentia & sapientia Serenissime Princeps, Illustrissimi Senatores, revertimini, ut hoc peculium divinum, quo pietas avita floret, artium & scientiarum pondera reviviscunt, non exterminetis, sed propagetis, non rejiciatis, non illi extremum valedicatis, sed in sinum, in cor vestrum recondatis. Certè Henricus IV. Christianissimus Rex Galliæ, beatæ memoriæ, materni ignominia quam vos, quam vestra Respubl. videbatur notata, deprehensa tamen hujus ordinis innocentia, quicquid antecesserat opinionum perversarum, remisit, Rex, regio animo condonavit, ignovit; imò voluit, ut ignominiam gloria, mortem vita sequeretur. Imitamini quæso, Christianissimi Regis Christianum Exemplum: Vos ipsi venite, pauperem & mendicantem ordinem recipite, & gaudium erit Romæ apud summum Pontificem, apud Regem meum Christianissimum, apud Regem Hispaniarum Catholicum, apud Magnum Ducem Hetruriæ, apud Reges & Principes cæteros Christianæ Europæ, inprimis apud Sereniss. Domum Austriacam, cui ordo inprimis gra-

gratiosus. Labente autem ordine hoc vel repudiato, summi Pontificis autoritas (quam tamen sartam tectam, ceu capitis Ecclesiæ tueri & defendere tenemini) paulatim labefactabitur, fides Catholica (cujus fundamentum est salus) profecto inanis erit, & ut paucis omnia complectar, omnia sursum & deorsum vertentur, & janua Anti-Christo aperietur. Ne ergo mala haec in Ecclesiam Catholicam redundent, recipite in fidem vestram eam sodalitatem, pro qua Christus singulariter mortuus, quam Beata Virgo præ cæteris ordinibus diligit: hac enim salva, Imperii Vestri Majestas, Reipubl. dignitas, pacis cum internæ, tum externæ utilitas, toti mundo cum nominis Vestri immortalitate patescent. Dixi.

Procuratoris S. Marci Venet. Responſ.

Quanquam inter Nobiles nostros Venetos de Jesuitarum restitutione decernere signum rebellionis est verissimum, Amplissime Domine Legate, tamen qui pro iisdem nomine Christianissimi Regis Galliarum intercedis, Sereniss. Dux, Amplissimi Senatores decretum repetunt. Ne illi in æternum recipiantur; Causas negationis si scires, non intercederes, sed aliter sentires: periculosi sunt homines, plurimorum etiam Catholicorum testimonio, Religionem præ se ferentes, sed facto ipso regionem petentes. Majores nostri etiam extra hunc ordinem pietati & sanctitati studuerunt. Sunt Socii Jesu, tantùm secundum dici, non verò secundum esse. Homines isti novi nullo antiquo Concilio interfuerunt: & cujus Imperatoris, & Regis Catholici aulam non perreptarunt? Cujus Electoris Catholici Archiva non involarunt? Cujus Archiducis Consiliarii non sunt? Cum ergo S. Marci vita D. Ignatii mors, & D. Ignatii vita futura sit S. Marci mors: Potius S. Marcum Pacificum, Beatum Ampliss. Respublica Veneta sequi debet, quàm hoc relicto, Iesuitis curiosis & miseris vitam & fortunam suam committere. Quod Legatum Illustrissimi Senatores scire voluerunt, cui in rebus studia, nec non Christianissimo Regi Francorum, honorem & amorem deferunt. Dixi.

MON.

MON. V.

Quid agendum, cum Religiosi symbolizando nobiscum in multis occupationibus multum nobis detrahunt?

Genus humanum animosè nobis ferendum. Proinde inculcandum hominibus, nostrum ordinem omnium Religionum habere perfectionem (*a*) & in quo aliæ Religiones excellunt, in eo eminentiori modo Societatem lucere in Ecclesia DEI, (*b*) præter chorum (*c*) & victus asperitatem (*d*) quibus discrepamus à Monachis, omnia in Societate melius haberi, ipsa etiam subjecta. (*e*) Notentur defectus, ex quibus ostendatur, minus feliciter alios Religiosos satisfacere posse, illi occupationi, in qua concurrunt nobiscum. Majori conatu eundum est contra illos Religiosos, qui scholas erudiendæ juventutis instituere vellent in locis, ubi id cum dignitate & fructu Societatis nostræ obiit (*f*) ostendatur Principibus, tales homines perturbationi fore Reipublicæ; (*g*) Proponatur Academicos externos illos Religiosos magis quam nos ipsos in ruinam, (add. tendere) suggerant Principibus sufficere Societatem erudiendæ juventuti. (*h*) Quod si literas Pontificum pro se habeant aut Cardinalium commendationes, agant per Principes apud Pontificem, cui ostendatur, Societatem benè fungi suo munere, procurabunt testimonia à Civitatibus, in quibus sua Collegia habent, bonæ suæ conversationis. (*i*) His etiam diligenter persuadendum erit, timendas perturbationes accessu diversarum Scholarum & Præceptorum etsi Religiosi sint, (*k*) interim nostri pro viribus curent studia exerceri, & specimina edi cum applausu aliorum.

(*a*) *Fides adhoc requiritur simplicissima, aliàs vix persuaderi poterit, nisi dicere velis, defectum perfectionis suppleri per nequitiam & varia flagitia. quod Author Tractatus, cui titulus, Crudele Theatrum Nefandorum Criminum Jesuitarum, Anno 1665. in lucem editi, demonstrare conatus est.* (*b*) *Quoad exteriorem Palatiorum [Collegiorum] splendorem & vivendi genus verum est, sed de aliis partibus non item, uti R quondam P. Valerianus Magnus Capuccinus id Scripto aliquo deducere incepit, sed morte præventus, tam utili labori finem imponere*

ponere non potuit. (c) *Ad quem quidem celebrandum Pius V. P. M. haud dubiè ex optima & syncerissima intentione Iesuitas (cæterorum instar Monachorum) alligare conatus quidem est, sed sine fructu nam in faciem ei obstiterunt, fortassis ex hac inter alias ratione, ne dum chorum tenendo horas impenderent, interim hinc inde occasio una aliave ad utilitatem privatam ordinis serviens præterlaberetur.* (d) *Alias enim tam robusta corpora Iesuitæ non enutrire possent.*

(e) *Nimia & propria laus sordet, quasi nulla inter cæteros Monasticos ordines subjecta cum Iesuitis comparanda invenirentur; quæ præsumptio? sed proverbium Germanis frequens est,* Was soll der Dreck wann Er nicht stinckt?

(f) *Si hoc mirum non est tot Doctores inter Monachos, quod inter Iesuitas, non inveniri, nam eo ipso quia ab illis juventutem erudire prohibent, subjecta quasi furantur Monachis.* (g) *Calumniam & invidiam Iesuitæ in tantum sibi associarunt, ut ex vitiis virtutes fecerint.* (h) *In hoc puncto Iesuitæ se viros præstiterunt, nam ubicunque sua habent Collegia, aliis Religiosis ordinibus juventutem erudire vel Gymnasia publica habere non permittunt.*

(i) *Cum fœminis formosioribus, quibus collegiorum fores noctè dieque patent.* (k) *Nam Iesuitica Potestas impatiens consortii erit.*

MON. VI.

De Conciliandis viduis opulentis Societati.

Deligantur ad hoc opus provectæ ætatis Patres colore vivido, visitentur crebrò eædem à nostris. Quæ affectum ostenderit in Societatem, vicissim Societatis nostræ opera ei offerantur, si acceptat, cæpitque frequentare nostras Ecclesias, detur ei talis Confessarius, qui eam benè dirigat, & constantem in viduitate servanda faciat, enumerando bona viduitatis quibus meritum sit obtentura. Ut res tota melius illi cedat, comitatum famulorum diminuendum suadeat, ordinentur officiales Aulæ, & præfecti bonorum præscribantur, quæ spectant ad gubernationem Domus, habitâ ratione loci & Personæ. Inprimis autem efficiat Confessarius, ut ejus Consiliis acquiescat vidua, & directionem sequatur tanquam fundamentum futuri boni Spiritualis; Proponatur usus Sacramentorum frequens, auditio Sacri, recitatio Litaniarum exhortationes sint bis vel ter in hebdomade de bono viduitatis, de molestiis matrimonii iterati, periculis novisque gravaminibus ejusdem. Facetè propo-

Japponiâ se habere Patres Societatis gloriantur, angulis tecta obrutaque mansissent sed nimius eorum in redditibus per fas nefasq; augendis ardor, insatiata nummorum ac bonorum temporalium acquirendorum libido, & flagrantissimum Secretorum omnium Consiliorum Politicorum noscendorum desiderium aliquo modo viam quasi monstrarunt, quâ ad basinm, quæ hanc ingentem machinam hactenus (sed quam feliciter & ad salutem Regnorum?) sustentant, notitiam perveniri potest; ex fructu cognoscitur arbor, docent id Monita Privata Societatis, quæ hactenus nunquam quod sciam lucem viderunt, sed intra privatos Collegiorum Parietes lātitarunt, tandem verò singulari DEI beneficio in manus aliquot Ecclesiasticæ dignitatis virorum, qui prima apud Patres fundamenta, in eorum hinc inde erectis scholis publicis, eruditionis jecerunt, pervenerunt, è quorum liberali communicatione illa descripsi & quod sanctè testor fideliter, nec ulla literâ addita vel detracta jamq; publico bono cum notis, hinc inde brevibus adjectis (si enim pro dignitate materiæ monita hæcce Privata annotationibus illustrare voluissem, justam volumen scribere opus fuisset) in lucem dare destinavi, ut quilibet Reverendos illos Patres in arte Politica cæteros ferè omnes tam Ecclesiasticos quàm seculares si non superare tamen maximè æquare satis superq; perspiciat. Qui in locis ubi sibi non tantum in Spiritualibus sed & pro more in Politicis Jesuitæ directionem arrogant, moratur, talia videt, quæ vix alibi cen[illegible] [illegible] omnes Principes, quibus illi à Confessionibus sunt [illegible] ut pueri in scholis, modo, ab illis tractantur, omnia Con[illegible] ne[illegible]otiaq; pro lubitu apud eos disponunt, imo quam maximè l[illegible]b[illegible]ra[illegible], ut nec ullum ad ul[illegible]ius Principis servitium perveniendi [illegible] habeat, nisi [illegible] Jesuiticum sit mancipium dico quod res est, sicq; illi Patres re vera, Principes verò titulotenus tantùm regnant; obser[illegible] hoc quidem m[illegible], gemunt, suspirant, nec tamen m[illegible]tare queunt, [illegible] animadvertunt, esse qui eorum actiones Consiliaq; [illegible] vel[illegible], hinc omnibus mo[illegible] seu illi[illegible] ever[illegible], hinc nemo præ timore [illegible] audet [illegible] semet [illegible] in Germania Electoris Potentissimi, [illegible] Tractatum illum Gem[illegible] nomine Friderici Triumar. anno 1640 excusum penes se [illegible] habebat, cumq; in quodam dis[illegible]

[illegible]

discursu mentionem ejus habuisset, egoq; ut mihi ad legendum communicaretur, rogassem, abnuebat primo, se enim pro certo scire ajebat, si nossent Jesuitæ eum non tantum penes se habere, verum & alteri communicare velle istum libellum, excommunicationis fulmen haud dubie incursurus esset. neq; poteram aliter ab eo impetrare, nisi sub hac cautione, me nec ulli unquam aut libellum ostensurum, aut quod in ipsius ædibus reperiretur indicaturum. Quid mirum ergo, si quilibet, ne sub tale servile & Tyrannicum Jesuitarum jugum redigatur, sibi præcavet? optimè perpendit hoc Reverendissimum Capitulum Ratisponense, quod bis sede Episcopali vacante nunquam in Electionem Reverendissimi ac Serenissimi Alberti Sigismundi Episcopi Frisingensis D. Bavariæ ad Episcopatum Ratispon. (licet Princeps eò quam maximè adspirabat) consentire volebat, quia ejus à directione unica sui Confessarii P. Marquardi (e familia ab Ebingen) Iesuitæ dependentiam non ignorabat. Utinam tandem Principibus ipsis aperiantur oculi, & suis Confessariis extra Confessionis limites Politicis se immiscere negotiis non permittant, tutius [illegible] & longè securius Regimen se habituros esse re ipsâ experientur, vel si Patres Societatis in ordinem se cogi non sinant, id agant, quod Serenissimum Maximilianum Philippum Ducem Bavariæ ante annum heroicè [illegible] in omnibus, non minus quam prudenter fecisse testabitur [illegible], imo tota Bavaria & jam orbis universus, valedicant nimirum non tantum Confessariis, sed & toti Societati, qui simul addebat [illegible] posterum ne[c] ullum unquam e Iesuitis Confessarium admissurum; vos ceteri Imperatores, Reges, & Principes Catholici, si sistite hu[jus] [illegible] Ducis vestigiis, & [illegible] eritis quoad Personas, salva [illegible] Imperia, Regna & Principatus. Doleo equidem, dum [illegible], sed quia Patres Societatis à Primi Fundatoris S. Ignatii [illegible] & optimo instituto recedere nō erubescunt, cur non dica ea, quæ [illegible] tas exprimit, magna licet optimè noverim hac scriptis [illegible] gratiam aut munuscula aut promotionem ad dignitates mediante [illegible] non assequuturum; at non curo, nihil boni ab illis accepi, nihil mali mihi facere possunt calumniis, ista illarū labia non horreo, ea [illegible] à P. [illegible] vol. [illegible] Bavar. S. imp[r]oborū calumnias laudes esse proborū, nam privatam vitam ago, illorum ope, favore, aut patrocinio non egens, Nam

 stet

Stet quicunque volet pote ns
Aulæ culmine lubrico;
Me dulcis saturet quies,
Obscuro positus loco
Leni perfruar otio:
Nullis nota Quiritibus
Aetas per Tacitum fluat.

& si ad Aulicum aliquod servitium vocationem obtinerem, mihi arrideret, civiliter & Politicè (uti antehac semper consuevi) cum illis vivere proposui. Interim ex edictis hisce monitis privatis maximam Iesuitarum cum Politico meo conformitatem in vita & moribus percipies, ea si tibi non arrident, & fortassis falsa pro veris me tradidisse autumas, scias me has merces sic ab aliis emptas tibi syncerè iterum vendidisse, sique ego istique decepti sumus, memento, totius Politices ac ordinis Societatis praxin hodiernam in hoc puncto consistere, ut mundus decipiatur; Si tamen certiora & meliora edoctus fuero ea publica re in usum tuum non præteribo. Cur verò sub ficto nomine hæc monita publici juris fecerim, si quæris, in eo Iocosi Severi Medii (quem vel Religiosum è societate, vel unum ex ejusdem clientibus fuisse, vel jussu Societatis scripsisse volunt) contra P. Valerianum M. Capuccinum Anno 1653. scribentis vestigia sequutus sum, quia sic placuit, aliàs malis bonisq; æquè notus vivo. Hisce vale, iterumq; vale, ac sanctam Societatem amare, Socios verò tanquam membra putrida abhorrere perge.

MON-

MONITA PRIVATA SOCIETATIS.

MONITUM I.

Qualem se Societas præstare debet, cum de novo incipit loci alicujus fundationem?

VT se gratam & acceptā præbeat incolis loci, quem non ita pridem suscepit, multum ad hoc conducet explicatio finis Societatis, præscriptus in Regula II. Summarii, incumbere in salutem proximi æquè ac suam. Quare humilia obsequia obeunda in Xenodochiis, & jacentes invisendi, ad confessiones excipiendas quorumcunque, & ad loca distantia eundum, (a.) Eleemosynæ conquirendæ, dandæque pauperibus aliis videntibus, (b.) ut ædificati facto nostrorum, sint in nos liberaliores. Modestiam exteriorem ita omnes edifcant, ut illa alios ædificet, delinquentes è nostris ll. ob id dimittantur.

(a) Hoc jam mutatum est, nam Rhedis & Equis vehi commodius visum Societati. (b) Secundum illud Salvatoris Matth. 5. Luceat lux vestra coram hominibus &c. Charitatem vero Iesuitarum erga pauperes satis superq; testantur Hospitalia cum appertinentibus reditibus à Societate hinc inde occupata.

MON. II.

Quid factu opus est, ut Principum & Magnatum intima familiaritate potiamur?

Conatus ad id maximi sunt adhibendi. Experientia docuit, Principes tunc affici Spiritualibus & Ecclesiasticis Personis, quando odiosa facta eorum non apertè reprehenduntur; (a) Cernitur id in Matrimoniis contrahendis Principum cum sibi affinibus. Quæ Matrimonia magnam habent difficultatem ob vulgi opinionem, qui tales execratur thoros. Itaque cum hæc & talia affectant Principes, animandi sunt, assecuturos eos, quos volunt: Explicentur rationes, quæ illorum desiderium augeant, videlicet Matrimonium hoc fore causam majoris vinculi & gloriæ

(a) Si hoc fecisset S. Iohannes Baptista, vitam non perdidisset.

gloriæ DEI (*b*) Sic dum Princeps aggreditur aliquid faciendum, non æquè omnibus Dynaſtis gratum, videlicet ſi bellum movere vult, tunc ejus voluntas juvanda, & conſtantiæ monenda, permovendusque animus (*c*) Primoribus Regni inſinuent, perſuadeantque, Principis voluntati parendum eſſe, non tamen ad particularia deſcendant, ne nobis imputetur; (*d*) ſi tamen objiciatur, citentur generalia monita, id nobis prohibentia (*e*) juvabit ad contrahendam familiaritatem Principum, obire legationes in matrimoniis ipſis gratis. Per munuſcula vincendi intimi Principum, (*f*) ut fideliter inſtruant noſtros de moribus & humoribus Principis, quibus rebus delectetur, quis ſit ſibi modus placendi (ſalvo tamen jure virtutis & conſcientiæ) & occaſione habitâ inſinuent ſe in animos Magnatum & Principum. Si careant uxoribus, proponantur illis virgines in matrimonium, quæ cum ſuis Parentibus noſtris ſint addictæ, iisque virgines depingantur laudum coloribus, quibus eas depingi vellent ipſimet Principes. Sic enim fiet, ut per uxores, aliàs alienos nobis amicos reddamus. (*g*) Docuit hoc experientia per Domum Auſtriacam in Regnis Poloniæ, Galliæ, cæterisque Ducatibus & Dit[io]nibus. Fœminæ ne mutent animos, aut de ſuo favore in nos remittant, feriò inculcetur illis amor in noſtram Societatem, tum per noſtros, tum per eas famulas, quæ nobis ſint addictæ, quæ variis officiis & munuſculis in amicitia conſerventur, ſic enim Secretiora ſuæ Dominæ, & ea quæ noſtros ſcire oportebit, evulgabunt. (*h*) Sequantur in conſcientiis Magnatum regendis eorum

(*b*) *Ex hoc Principio haud dubiè Carolus Archidux Auſtriæ, hujusq́; filius Ferdinandus II. Imper. & Abnepos Leopoldus I. Imp. Philipp. IV. R. Hiſpan. ac Ioh. Caſimirus Rex Poloniæ viduam fratris Regis Vladisl. ac Maximilianus Elector Bavariæ filias ſororum ſuarum Germanarum.* (*c*) *Prout in Germania, Gallia, Polonia ab ipſis factum.* (*d*) *Id eſt, ne pro incendiariis habeantur.*

(*e*) *Quia Reipublicæ Ieſuiticæ Arcana ſpecialia tanquam Margaritæ Porcis non objicienda & aperienda ſunt* (*f*) *Per munuſcula intimi Principum ſunt devinciendi, non per munera, nam Ieſuitæ non in uſu habent munera mittere niſi diminutivi generis.* (*g*) *Praeunte Diabolo, qui ad ſeducendum Adamum Eva tanquam optimo ac aptiſſimo inſtrumento uſus eſt.*

(*h*) *Ingenioſum mehercle inventum!*

Aucto-

Auctorum sententias, qui liberiorem faciant conscientiam (i) contra Monachorum opiniones, (k) ut illis rejectis, nostras sequantur, & à nostra directione & Consiliis dependeant. Quare tàm ad Principes & Magnates quam Prælatos conciliandos, juvabit eos facere participes meritorum nostri ordinis, habere amplas facultates absolvendi à peccatis reservatis & censuris, dispensando in jejuniis, debito reddendo, matrimonii impedimentis & aliis votis. Invitentur ad Scholas nostras, salutentur Carminibus, (l) inscribantur illis theses. Si expedit, in triclinio tractentur. (m) & si qualitas Personæ exposcat, variis linguis salutentur (n) tempore mensæ à nostris fratribus, inimicitias inter Magnates componant. (o) Quod si Monarchæ nobis addicto subserviat vir aliquis Primarius à nobis alienus, promittatur ei favor & honores conferendi ad nostrorum instantiam. (p) Denique ita Societati curent affectos esse Principes & Magnos Dominos, tum Prælatos, ut pro eâ contra affines & sibi charos agant, nec dimissos à Societate ullo modo promoveant. Deferendos honores Primatibus ominentur, delatos gratulentur libellis Carminum per Studiosos in primo ingressu loci, ubi exercenda erit jurisdictio.

(i) *h.e. qui approbant ejusmodi nequitias* (Bubenstücklein.)

(k) *Monachi enim non capiunt verbum hoc, nec intelligunt rationem Status.* (l) *Adulatoriis, addendum fuisset.* (m) *Sed nullo cibo potuque, Philtro, aut veneno mixtis.* (n) *Aст non salutatione Ioabicâ aut Ischariotica.*

(o) *Hujus artis peritissimi Artifices sunt Iesuitæ, eamque tam familiarem sibi reddiderant, ut satis explicari non possit, scil.* (p) *Imò nisi Iesuiticum fiat mancipium de fortuna ejus actum erit.*

MON. III.

Quid curabunt Domini pro nobis, dum pecuniâ destituuntur, multa tamen sunt auctoritatis in Republ. & aliis modis nobis prodesse possunt?

Tales Domini si Sæculares sint, curanda apud ipsos gratia & auxilium contra adversarios nostros, favor ad lites forenses, auctoritas & prudentia coemptionis pag. dom. hortorum area-

rumque pro extruendis Societati nostræ domiciliis, in illis præsertim civitatibus, quæ nostros nolunt habere. (a) Fideles Domini conciliandi, ut mitigent, imo compescant furorem hominum notæ inferioris, nobis nihil cooperantibus. (aa) A Spiritualibus verò, ut Episcopis, Archiepiscopis, pro diversitate Nationum id exigendum, quod rei opportunitas ostendet (b). In quibusdam partibus curandum est, ut Prælati & Parochi ipsius subditi nostros revereantur, nec impediant monasteria nostra, in aliis partibus plus. Nam in Germania & Polonia magna est auctoritas Episcoporum, qui parvo labore, collatâ re cum Principe, Monasteria, Parochias, Præposituras, aliasque fundationes &c. nobis possunt attribuere, contentione quacunque factâ, Sacerdotibus sæcularibus, (c) quod in iis locis assequi possumus, ubi Catholicis & Hæretici & Schismatici sunt permixti, ostendaturque Episcopis magnum fructum ex hac ratione facturos, quem à Sæcularibus Sacerdotibus & Monachis præter tantum expectare non possunt. Laudetur Zelus eorum, inculcetur facti memoria perpetua. Tales autem fundationes, ut succedat Societas in beneficia sæcularium Sacerdotum, per eos Episcopes assequentur facilè, qui & confitentur nostris & à directione nostrâ dependent, & sunt in expectatione ad altiores gradus Episcopatus opulentioris mediantibus nostris. Tam autem apud Episcopos quam Principes curent nostri, ut dum fundant nostra Collegia ad Parochiales Ecclesias, nostri quoque soli sint, qui habeant jus conferendi perpetuum cum cura animarum; Ipse superior loci pro tempore existens erit Parochus, totumque Regimen Ecclesiæ nostrorum sit per eosdem (d). Curabunt extructiones Collegiorum in locis ubi sunt Academici, nostris repugnantes, vel Catholici aut Hæretici Cives, fundationes nobis in suis Civitatibus prohibentes. Illi iidem curabunt pro

(a) *Haud mirum videri debet, quasdam inveniri Civitates, quæ nolint habere Iesuitas, ubi enim semel pedem figunt, vix est, ut deinde eradicari possint.*

(aa) *Archiepiscopos tamen Salisburgenses nunquam Societas persuadere potuit, ut vel Domicilium vel Collegium in Archiepiscopatu concederent.*

(b) *Palam, sed clam.* (c) *Hoc ensimetu in locu practicarunt.*

(d) *Et hoc quàm felicissimè assequuti sunt.*

nobis

nobis Cathedras Concionatorias in civitatum nobilium Ecclesiis præcipuis (*e*). Siquidem agitur de Beatificando aut Canonizando noſtro, Magnatum operis promovendum erit negotium apud ſedem Apoſtolicam. Si ex iisdem Dominis contingat legationem obire, ne cognitis aliis religioſis, qui nobiſcum ſymbolizant, ad eos affectum transferant, & in Provincias inducant, in quibus emanemus. Quare ſi tranſeant Viri Illuſtres per Provincias, ubi ſunt noſtri, excipiantur ad Collegia, & pro modeſtia religioſa tractentur. (*f*)

(*e*) *Etiam in hoc puncto Ieſuitis ubique ferè locorum ſatisfactum.*
(*f*) *Delicatuſsimis nempe cibis bellariis* (Schleckerbißlein) *& vinis ſelectiſsimis.*

MON. IV.

Quæ commendata eſſe debent Concionatoribus & Confeſſariis Principum & Magnatum?

Vt directiones Regum & Principum Virorumque Illuſtrium rectè per nos inſtituantur, omnimodè ita eos dirigant, ut ſua directio tendere videatur (*a*) ad Conſcientiam, quam ipſi Principes concredunt. Non ſtatim autem, ſed ſenſim ſpectare debet directio ad gubernationem Politicam externam. (*aa*) Quare ſæpè inculcent Principibus diſtributionem honorum & dignitatum in Republica ſpectare ad juſtitiam, graviterque DEUM offendi, ſi contra eam à Principibus peccetur; ſe tamen nolle ingerere ad ullam adminiſtrationem Reipublicæ, & hæc ſe invitos dicere ratione ſui officii. Quod ubi apprehenderint Principes, explicetur ipſis, quibus virtutibus præditi eſſe debeant aſſumendi ad dignitates Reipubl. commendationis capita ſumantur ex amicis Societatis noſtræ, & ex iis viris, quos expedit pro bono Societatis promovere, quos per ſe non nominent Principi, ſed per intimos Amicos Societatis noſtræ & Principis (*b*). Quare Concionatores informentur à noſtris, qui in quavis parte illius Dominii ſint viri, qua virtute, potentiâ, divitiis, liberalitate in nos, hominum notitiam apud ſe habeant, notitiamque eorum faciant Principi, dextre eos commendando, ut facilius oblatâ oc-

casione promoveantur à Principibus, illi, quos olim sibi laudari à suis Confessariis & Concionatoribus audierant. Meminerint Confessarii & Concionatores Principum, suaviter eos tractare, nulla ratione perstringere in Concionibus aut privatis Colloquiis. (c) Confectiones, Aquas distillatas modicè acceptent (d) quod usu privato parvo pecuniâ sint contenti. Dum sunt in Palatiis, ad abjectiora se cubicula conferant, (e) prudenter inculcent Principibus, ne vel toto ungue discedant à Concilio Spiritualium Principum. Curent sibi significari quam primum Officialium Reip. mortem, & de substituendis maturè cogitent, agantque, ut se suspicione eximant evertendi Regiminis, (f) nec amicorum causas apud Principes promoveant per se, sed aliis potius comittant. (g)

(a) Licet in veritate Rei toto differat cœlo. (aa) Secundum illud, successivè fit motus, nam aves non capiuntur fustibus; Hinc vides à gubernatione Politica non abhorrere sanctissimos Patres, imò unicum verè scopum eu esse, Politicis se immiscere negotijs, si enim hoc intermittere potuissent, nunquam à Gallis Venetisque ejecti fuissent, utrisq; quidem in locis iterum sunt recepti, sed durioribus, quam antea sub conditionibus, inprimis à Veneta Republ. Lubet in gratiam Lectoris hoc loco apponere, quæ tempore receptionis Anno 1657. lingua Italica & Latina in schola Pasquini Romæ exarata, ab Illustri manu mihi communicata fuere.

Pasquinata per la liberatione del bando de Gesuiti.

Il Papa dice al Senato Veneto:
Igno, ce illis.
Il Senato Veneto rispondi al Papa:
Pœnitet me peccasse, cupio emendare quod feci, fiat voluntas tua.
Li Gesuiti dicono al Papa.
Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.
Il Nuntio da Secreto al senato Veneto.
Clamavi & eduxisti me.
Venetia al Nuntio.
Hic accipies benedictionem à Domino.
Venetia da Crociferi.
Cuncti ibant & flebant.

Venetia di Petri di San. Spirito
Thesaurizas & ignoras qui congregabit eos.
Li Gesuiti di Venetia.
Locati sumus pro annis quibus humiliati, pro annis quibus vidimus mala.
Tutti li fratri di loro.
A Domino factum est hoc, & est mirabile in oculis nostris.
L' inquisitione & il Re di Spagna à Gesuiti.
Ite & interrogate diligenter & renunciate mihi.

Li Gesuiti respondono à loro.
Quodcunque volueritis, petetis & fiet vobis.

Li Teatini per la Venuta de Gesuiti.
Ipsi stridentes, sic admirati sunt, conturbati sunt, commoti, tremor apprehendit eos.

Li Gesuiti à Theatini.
Ait latro ad latronem, nos quidem digna factu recipimus.

Li Gesuiti alli Crociferi & à quelli di San. Spirito.
Ipsi ceciderunt, nos autem surreximus & erecti sumus.

Li Sammarchi à Gesuiti.
Vnam petij à Domino, hanc requiram, stat in Domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. Et vos omnes qui transitis per viam attendite & videte si est dolor similis sicut dolor noster.

Li Dominicani.
Non est nobis colluctatio adversus carnem, sed adversus Principes & Rectores Mundi.

Li Padri di San Salvatore.
Salva nos, perimus.

Li Padri della Carità.
Si charitatem non habeo, nihil sum.

Li Padri della Madonna del Horto.
Veniet dies magna, amara valdè

Li Padri di San Sebastiano.
Si possibile est transeat à me Calix iste.

Li Padri di San. Spirito.
Ecce nos relinquimus omnia.

Li Maestri e Pedanti.
A subitaneâ & improvisâ morte libera nos Domine.

Li Gesuiti à Don Diego Commorante à Venetia echero Gesuita.
Vbi te invenero, ibi te judicabo.

D. Diego à Gesuiti.
Quo ibo à Spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam, si ascendero in cœlum, tu illic es, si descendero in infernum, ades.

(*b*) *Vnico verbulo hæc omnia comprehendi potuissent, si dictum fuisset, ut promovendus Iesuiticum fiet mancipium, cui nil loqui, nil cogitare, nil agere, nec edere nec bibere, nec dormire (præterquam naturam exonerare) concessum, nisi ex mandato ac ad beneplacitum illorum.* (*c*) *Si hoc attentasset Michæas Propheta, non audire coactus fuisset hanc vocem, vade in aliam terram.*

(*d*) *Præterquam in jejunio quadragesimali, quo tempore ad confortationem stomachi (ob abstinentiam carnis debilitati) istiusmodi maximè serviunt.*

(*e*) *Adea scil. ubi nec Principes mansionem habere dedignarentur.*

(*f*) *Puerorum instar in scholis, quibus à Præceptorum suorum jussis secedere severissimè prohibitum, alias virgis cæduntur.* (*g*) *At quod quis per alium facit ipse fecisse videtur, modò omnia fiant ne sentiant rustici.*

Appendix ad Not. Monit. IV. (*aa*)

Absolutis jamjam notis ad Monit. IV. incidi infortuita evolutione chartarum mearum in Orationem Legati Regis Galliarum Ludovici XIII. habitam coram Senatu Veneto pro Jesuitis, quam quia non omnibus notam esse novi, unà cum Responsio-

ne Procuratoris S. Marci, Appendicis loco addere placuit; sic autem infit.

Oratio Legati Regis Galliarum ad Senatum Venetum pro Jesuitis.

Serenissime Princeps, Patres Laudatissimi, Magnificentissimi, Christianissimi Regis legatione mea expedita, unum à vobis peto, ut me pro Patrum Societatis Jesu restitutione orantem, clementissimè audiatis. Honestati autem maximè illam inservire, Catholici omnes uno ore loquuntur, stante enim illo ordine, stabit Pontificis Maximi autoritas, Conciliorum integritas, Resp. sanitas, imò totius orbis Christiani fundamentum. Quis enim ordo Majestatem Pontificis Romani contra Hæreticos Græcos & Germanos acrius defendit, animosius tutatus est? Jesuitarum. Quis autoritatem Conciliorum D. Petri Cathedræ subjecit? Jesuitarum. Quis Sereniss. hanc Remp. in Cœlum extulit? Jesuitarum. Quis Religionem avitam (taceo cæteras artes & scientias) qualis ab Apostolorum tempore extitit ad sanguinis usq. profusionem, restituit, reparavit, illustravit? Jesuitarum. Quis hæreses gliscentes extinxit, rebelles sedavit, & Ecclesiam Catholicam pristino pene nitori restituit? uno verbo, Jesuitarum. Quare pro antiqua vestra prudentia & sapientia Serenissime Princeps, Illustrissimi Senatores, revertimini, ut hoc peculium divinum, quo pietas avita floret, artium & scientiarum pondera reviviscunt, non exterminetis, sed propagetis, non rejiciatis, non illi extremum valedicatis, sed in sinum, in cor vestrum recondatis. Certè Henricus IV. Christianissimus Rex Galliæ, beatæ memoriæ, majori ignominia quam vos, quam vestra Respubl. videbatur notatus: deprehensa tamen hujus ordinis innocentia, quicquid antecesserat opinionum perversarum, remisit, Rex, regio animo condonavit, ignovit; imò voluit, ut ignominiam gloria, mortem vita sequeretur. Imitamini quæso, Christianissimi Regis Christianum Exemplum: Vos ipsi venite, pauperem & mendicantem ordinem recipite, & gaudium erit Romæ apud summum Pontificem, apud Regem meum Christianissimum, apud Regem Hispaniarum Catholicum, apud Magnum Ducem Hetruriæ, apud Reges & Principes cæteros Christianæ Europæ, inprimis apud Sereniss. Domum Austriacam, cui ordo inprimis gra-

gra-

gratiosus. Labente autem ordine hoc vel repudiato, summi Pontificis autoritas (quam tamen sartam tectam, ceu capitis Ecclesiæ tueri & defendere tenemini) paulatim labefactabitur, fides Catholica (cujus fundamentum est salus) profecto inanis erit, & ut paucis omnia complectar, omnia sursum & deorsum vertentur, & janua Anti-Christo aperietur. Ne ergo mala hæc in Ecclesiam Catholicam redundent, recipite in fidem vestram eam sodalitatem, pro qua Christus singulariter mortuus, quam Beata Virgo præ cæteris ordinibus diligit: hac enim salva, Imperii Vestri Majestas, Reipubl. dignitas, pacis cum internæ, tum externæ utilitas, toti mundo cum nominis Vestri immortalitate patescent. Dixi.

Procuratoris S. Marci Venet. Respons.

Quanquam inter Nobiles nostros Venetos de Jesuitarum restitutione decernere signum rebellionis est verissimum, Amplissime Domine Legate, tamen qui pro iisdem nomine Christianissimi Regis Galliarum intercedis, Serenis. Dux, Amplissimi Senatores decretum repetunt. Ne illi in æternum recipiantur; Causas negationis si scires, non intercederes, sed aliter sentires: periculosi sunt homines, plurimorum etiam Catholicorum testimonio, Religionem præ se ferentes, sed facto ipso regionem petentes. Majores nostri etiam extra hunc ordinem pietati & sanctitati studuerunt. Sunt Socii Jesu, tantùm secundum dici, non vero secundum esse. Homines isti novi nullo antiquo Concilio interfuerunt: & cujus Imperatoris, & Regis Catholici aulam non perreptarunt? Cujus Electoris Catholici Archiva non involarunt? Cujus Archiducis Consiliarii non sunt? Cum ergo S. Marci vita D. Ignatii mors, & D. Ignatii vita futura sit S. Marci mors: Potius S. Marcum Pacificum, Beatum Ampliss. Respublica Veneta sequi debet, quàm hoc relicto, Iesuitis curiosis & miseris vitam & fortunam suam committere. Quod Legatum Illustrissimi Senatores scire voluerunt, cui in rebus studia, nec non Christianissimo Regi Francorum, honorem & amorem deferunt. Dixi.

MON.

ponere non potuit. (c) *Ad quem quidem celebrandum Pius V. P. M. haud dubiè ex optima & syncerissima intentione Iesuitas (cæterorum instar Monachorum) alligare conatus quidem est, sed sine fructu nam in faciem ei obstiterunt, fortassis ex hac inter alias ratione, ne dum chorum tenendo horas impenderent, interim hinc inde occasio una aliave ad utilitatem privatam ordini serviens præterlaberetur.* (d) *Alias enim tam robusta corpora Iesuitæ non enutrire possent.*

(e) *Nimia & propria laus sordet, quasi nulla inter cæteros Monasticos ordines subjecta cum Iesuitis comparanda invenirentur; quæ præsumptio? sed proverbium Germanis frequens est,* Was soll der Dreck wann Er nicht stinckt?

(f) *Si hoc mirum non est tot Doctores inter Monachos, quod inter Iesuitas, non inveniri, nam eo ipso quia ab illis juventutem erudire prohibent, subjecta quasi furantur Monachis.* (g) *Calumniam & invidiam Iesuitæ in tantum sibi affectarunt, ut ex vitijs virtutes fecerint.* (h) *In hoc puncto Iesuitæ se viros præstiterunt, nam ubicunque sua habent Collegia, aliis Religiosis ordinibus juventutem erudire vel Gymnasia publica habere non permittunt.*

(i) *Cum fæminis formosioribus, quibus collegiorum fores nocte dieque patent.* (k) *Nam Iesuitica Potestas impatiens consortis erit.*

MON. VI.

De Conciliandis viduis opulentis Societati.

Deligantur ad hoc opus provectæ ætatis Patres colore vivido, visitentur crebrò eædem à nostris. Quæ affectum ostenderit in Societatem, vicissim Societatis nostræ opera ei offerantur, si acceptat, cæpitque frequentare nostras Ecclesias, detur ei talis Confessarius, qui eam benè dirigat, & constantem in viduitate servanda faciat, enumerando bona viduitatis quibus meritum sit obtentura. Ut res tota melius illi cedat, comitatum famulorum diminuendum suadeat, ordinentur officiales Aulæ, & præfecti bonorum præscribantur, quæ spectant ad gubernationem Domus, habitâ ratione loci & Personæ. Inprimis autem efficiat Confessarius, ut ejus Consiliis acquiescat vidua, & directionem sequatur tanquam fundamentum futuri boni Spiritualis; Proponatur usus Sacramentorum frequens, auditio Sacri, recitatio Litaniarum exhortationes sint bis vel ter in hebdomade de bono viduitatis, de molestiis matrimonii iterati, periculis novisque gravaminibus ejusdem. Facetè propo-

nat Viros Nobiles, quorum illa viduà, cum qua agitur, ut abnuat Connubium, iidemque viri ita describantur, declarando mores & vitia illorum, ut audiendo vidua nec cogitationem assumat de Matrimonio. Proinde cum sint ista affectæ erga viduitatis Statum, quamprimùm eis commendentur vota Religiosa, ut emisso voto castitatis omnem sibi aditum præcludant ad secundas Nuptias; quo tempore maximè suadendum, ut ex Aula abigantur juvenes liberiores in jocis, pauci admittantur hospites, in iisque tractandis mediocritas. Præfecti Pagorum Sacellani, aliique officiales tales sint, qui aut ex nostrorum commendatione habeantur, aut à nostrorum nutu dependeant. Huc ubi progressum fuerit paulatim ad bona opera inducanda erit vidua, quæ tamen præstabit ex directione Patris sui Spiritualis.

Hoc Monitum adeò perspicue & dextrè à Societate explicatum est, ut nihil annotare potuerim, nisi ad specialia descendere & Exemplis hinc inde adductis dicta versificare volupe fuerit, quia vero illa Sanctissimo ordini satis nota sunt, nolui crambem eis bis coctam apponere.

MON. VII.

Quis modus conservandi in sua viduitate & dispositione redituum quos habent?

Si præter communem affectum testetur vidua clenodiis aut pecuniæ non modicâ summa [a] suam in Societatem liberalitatem, fiat Particeps meritorum Societatis nostræ. Si emisit votum castitatis, renovet illud more nostro bis in anno, [b] exponatur ordo Societatis nostræ Domesticus, quod si placuerit, præscribatur pro Aula, indicantur Confessiones Menstruæ tàm pro Festis Christi Domini Beat. Virg. & Apostolorum, constituantur Syndici inter mares & fœminas, qui defectus notent inter Aulicos & famulos, referantque magnificè, interdicantur nutus, Susurri, Clandestina, Colloquia, delinquentes severè castigentur, sint in Aula honestæ puellæ, quæ varia ornamenta conficiendo pro templis se in pietate exerceant, super se babeant man-

manuductricem, quæ laborantibus attendat, & mores edoceat. Visitentur viduæ crebro, [c] & jucundis colloquiis Spiritualibus tamen, [d] conserventur & foveantnr. Non agatur rigidè cum ipsis in Confessionibus, nisi tunc, cum minor est spes aliquid ab eis accipiendi, [e] Proderit quoque ad conservandas viduas, si pleraque fiant in gratiam viduarum ut ingressus in ædes nostras, Colloquia, quando & cum quibus placere nostris. [f] Non permittantur frigoribus domo exire, aut ubi se deterius habere sentiunt [g] Nuptiæ filiarum exornentur carminibus Studiosorum externorum : Si exequiæ peragendæ sunt, ornatus etiam lugubris, splendidus tamen adhibeatur, Catafalci non vulgari structurâ. Demum quicquid fieri potest ad viduarum sensualitatem [modo sunt liberales & addictæ intimè] fiat, cautè tamen & secluso Scandalo. [h] Agendo de dispositione redituum, quos habent viduæ, proponatur illis illa perfectio laudata Sanctarum, quæ neglectis Amicis sua bona in Christi pauperes erogant. Adducantur exempla viduarum, quæ hac ratione brevi in Sanctas evaserunt. Quare dum se viduæ in nostras manus resignant, paratæ sequi directionem Patris Spiritualis, seriò inculcetur, ut majoris meriti sint illarum actiones coram DEO. Ne Religiosis quidem personis dent Eleemosynas inscio Confessario, [i] sed adnotatis illis, quas se daturas alicui decreverunt, schedulam [k] exhibeant Confessario, qui detrahere aut addere potest, prout videbitur. Caveant Confessarii frequentem aditum aliorum Religiosorum ad viduas ne post se fœminas naturâ in constantes abducant. Dum multa est pecunia è bonis collecta, ne hinc moveantur viduæ ad secundas nuptias, proponant Confessarii imò persuadeant, ordinarius pensiones, quibus sublevent necessitates nostras singulis annis nostrorum Collegiorum, & domorum Professarum, præcipuè verò Domus Professæ Romæ. Eandem pecuniam impendere possunt in casulas & paramenta Templi, quæ pro nostris Sacris ædibus servire possunt. Post mortem viduæ exponantur defectus Ecclesiarum coram viduis, structuræ imperfectæ Collegii, inducantur ad sumptus faciendos pro rebus perpetuam ipsis glori-

gloriam reconciliaturis, ut sunt templa, cibaria, ædificia, quæ Consultò citius perficiant, ut habeant in quibus liberalitatem possint exercere. Id ipsum faciendnm cum Benefactoribus & Principibus, qui nobis aliquid sumptuosè extruunt. Si clenodia sint, suadeatur æternitati ea conservanda. Si dentur à viduis ad sepulchra nostrorum BB. Romanorum, (l) comprobetur id exemplis aliarum Matronarum, quæ id præstiterunt. His de causis ostendatur illas summam perfectionem assecutas, dum terrenarum rerum amore se exuendo earum Christum Dominum in servis Societatis suæ possessorem instituerunt. Quod si filios & filias DEI obsequio dicare voluerint, non est liberalitas earum spernenda, accipiendoque offerent, parcius tamen ab iis viduis accipiendum, qui filios & filias ad seculum dirigunt.

Et hoc Monitum quoque tàm operosissimè deductum est, ut annotamento ullo ferè non egeat, nisi quis Exemplis dicta illustrare velit, quod quidem ipsemet fecissem, nisi justam ad id volumen requiri vidissem; Interim in gratiam Lectoru sequentes annotatiunculas adjicere placuit.

(a) Nam parva summa isti avari Patres non contenti sunt.

(b) Imo opus esset ut quotidie votum castitatis à Lascivis illis Patribus renovaretur, quot impregnationes honestarum alias sed ab eis seductarum Matronarum filiarumq; impedirentur? Vovent quidem Iesuitæ castitatem, sed fortassis eo animo pro ejus conservatione orant, quo Augustinus l.8 Confess. c.8. n 2, à DEO se petiisse castitatem in Exordio Adolescentiæ suæ ipsemet scribit; peti eram à Te (DEUS) castitatem; & dixeram: Da mihi castitatem & continentiam, sed noli modo. Timebam enim, ne me cito exaudires, & cito sanares, à morbo concupiscentiæ, quem malebam expleri quam extingui. Pudicos nempe mores oculis alierum vendunt, alii animo sunt. (c) Imo nimis crebro viduæ à Iesuitis visitantur, inprimis juniores formosioresq;, testante id quotidianâ experientiâ.

(d) Adeo sunt jucunda Patrum Colloquia cum viduis, (inprimis junioribus nam ætate pr[illegible]s non multum curant, nisi quotidiè aliquid ab eis accipiant) & spiritualia, ut statim animadverti possit,

possit, ex cujus Spiritus dictamine & inspiratione illa profluant.

(e) *Modo omnia à viduis ad beneplacitum Jesuitarum inque eorum commodum fiant, cætera & quæ sinistrè alij interpretari possent, istis impune permittenda, proh DEUM immortalem.*

(f) *Ut sæpius ejusmodi Spiritualibus ac jucundis colloquiis recreata viduæ ansam dein habeant domi majori satisfactione & jucunditate cogitationes suas pascere.* (g) *H. e. Ubi per nimiam cum Robustis PP. consuetudinem familiaritatemque habitam hydropisi trimestri se laborare sentiunt, adhibituque contra eam Meretricum consuetis remediis lectulo detinentur.* (Damit Sie das künfftige weinen eines jungen Jesuiterleins verhüten.)

(h) *Ne homines simplices ac pij sciant & deinde sinistrè de hisce congressibus judicent.* (i) *Quilibet inter Jesuitas libentissimè oculum unum amitteret, ut cæterorum ordinum religiosi omnes cæci fierent, & ille deinde horum proventus Eleemosynasque sibi appropriare posset; hujus rei testimonium habes illustre in occupatis Monasterijs Eberspergensi in Bavaria; Millestettensi in Styria & aliis.* (k) *RR. PP. Dominicani sine dubio statim è Catalogo seu Schedula expungerentur, nam hos extreme Patres Societatis odio habent, cujus causa inter plures hæc quoque potissimum est, aut esse videtur, discrepantia illorum ab horum sententia in conceptione B. Virginis, quam dominicani in maculâ originali cum S. Thoma & sota venerandâ antiquitate, Jesuitæ verò sine labe originali rationibus non satis (ut quibusdam videtur) validis conceptam asserunt.*

(l) *Præter S. ignatium Lojolam ordinis fundatorem & S. Franciscum Xaverium (quem tamen multi volunt non fuisse membrum Societatis, sed tantum à Jesuitis hoc asseri, ac in habitu eis alias consueto sic depingi, ut in majori veneratione eorum ordo fiet, propter tot ab illo S. Xaverio patrata miracula, quam tamen litem meam non facio ac Stanislaum Kostam, plures non habet Societas in Sanctorum Album relatos. Nec mirum est, nam quum RR. Patres solum quærunt terrena in vitâ suâ, eorum memoria cum corporibus terra h. e. oblivioni consecratur.*

MON. VIII.

De Remediis, ut filii & filiæ Nostrarum Devotarum religiosum amplectantur statum.

Suaviter & fortiter id Matri viduæ persuadendum, Filiabus molesta sit, Virgis, minis, abstinentiis, asperius tractando, denegando muliebre ornamentum exquisitum pollicendo majorem dotem, si velit esse monialis, exaggeret futuri mariti furores, gravamina matrimonii, præ se ferat Mater ipsa dolorem, se non fuisse monialem. Demum ita agat contra filias ut tædio vitæ manendi apud matrem aspirent ad monasterium. Cum filiis nostri versentur familiariter accipiantur ad Collegia, in quibus illa ostendantur, quæ moveant ad ingrediendam nostram Societatem, ut sunt horti vicini Collegiis, in quibus fiunt recreationes: in refectoriis ostendatur mundities & exterior conversatio inter nostros, munuscula, faceta colloquia ad Spiritum tamen non omittantur. Sint penes tales viduarum filios instructores, nobis amicissimi, imò futuri de nostris: subtrahat Mater filiis necessaria ad tempus modicum exponat intricata negotia ex parte bonorum. Si ad alias Provincias iverint studiorum causâ, ita illos mater non delicatè tractet pecuniâ ut tædio victi in exteris nationibus religionem ingredi seriò meditentur.

Quia hoc Monitum eandem cum duobus antecedentibus materiam nervosè tractat, nihil annotare volui nec potui, testantur enim ea omnia Familiarum quarundam extinctiones & Ruinæ à Societate procuratæ in hunc finem, ut scil. bonorum & Divitiarum possessiones ab illis relictas Collegiis suis acquirerent.

MON. IX.

De Reditibus Collegiorum Augendis.

Seriò inculcetur confessariis Principum Magnatum, & Matronarum, ut dum Spiritualia illis conferant, temporalia pro bono Societatis ab iisdem accipiant. (*a*) Quocirca non omittant occasiones acceptandi (*b*) cum aliquid affertur, & si diffe-

differatur, in memoriam revocent, nimium affectum minimè præ se ferendo. Qui ex Confessariis minus industrii in hac re erunt, tanquam bono communi minus affecti amoveantur à Principibus, domiq; exagitentur. Magno dolore audivimus juvenes viduas morte immatura præventas culpâ nostrorum suppellectilem multam ac præciosam templis nostris non legasse, neq; acceptasse, dum superstites viduæ offerrent, cum ad talia acquirenda non tempus sed voluntas offerentis spectari debeat. Adeant Civium Domos, Aulas Nobilium, nec non viduarum, ex quibus omnibus perquirant prudenter, num pro animæ suæ bono, vel ipsi, vel eorum àmici aut affines Ecclesiis aliquid sint legaturi. (c) Idem perquirendum in Parochis & Prælatis, qui inducantur ad officia spiritualia facienda, quo tempore multa possunt nostri lucrari: apud homines omnes audeant captare benevolentiam, explicando gratitudinem Societatis & fidelem executionem ratione locorum, quæ accipiunt à benefactoribus, secus quam alii Sacerdotes sæculares & Monachi. Habeant Notitiam Hortorum, Lapideorum, Prædiorum, Vinearum, Civitatum in quibus resident, pagorum, à quibus possessoribus, quibus contractibus, quibus cum gravaminibus teneantur, & num illa bona vel per contractus, vel per receptionẽ filiorũ in Societatẽ, aut donationẽ haberi possint experiantur. Devotis & Devotabus Societatis nostræ quæcunque sua bona Collegia vendant cum hac spe, quod post breve tempus Societas gratis eadem ab ipsis sit receptura (*d*). Si viduas addictas contingat habere tantum filias, eas dirigant ad Religionem monialium dote quacunque eis data; Cætera uti Pagos, Clenodia, totamque possessionem nostri facilè lucrabuntur. Si autem tantum unum filium aut plures viduæ nostræ Societati amica habuerit, nullaque sit spes filios aut filium fore in Societate, indicetur matri sufficere si integras possessiones filiis vel filio relinquat, ad collectæ pecuniæ summam & suam propriam dotem posse legari Societati. Si accidit viduas esse unius aut alterius pagi ad Societatem propensas, Societatis studiosas, hæ inducantur ad inscribenda bona nostris Collegiis.

Ipsæ

Ipſæ interim contentæ ſint annuam ſuſpicere ſuſtentationem, ut DEO commodius vacent, curâ rerum temporalium liberæ.

(a) *Praeunte Simone Mago in Actis Apoſtolicis. Niſi dicere velis, qui ſervit Altari vivat de Altare.* (b) *Hoc obſervatur à Jeſuitis diligentiſſimè, alias tot ſplendidiſſima Collegia, quæ Regum & Principum Palatia ſi non ſuperant tamen maximè æquant, non viderentur, ſæpiſſimèque non expectant occaſiones, ſed praeoccupant, noctè dieq; nil aliud ſomniant cogitantve, quam quomodo hujus vel illius bona ac pecunias ſibi acquirere poſſint, vulturum inde Rapaciſſimorum nomine à multis ideo cohoneſtati ac Leonibus famelicis comparat qui acutiſſimis oculis vicinum ſibi pabulum deſignant ut inſiliant & diſcerpant; Sic Jeſuitæ opulentorum hominum theſauros hiantibus oculis quaſi devorantes conſpiciunt, omnemque lapidem movent ut inſilire & ſibi acquirere poſſint. S. Ignatij primi Societatis Fundatoris ſymbolum fuiſſe fertur, ſordet mihi Terra cum Cœlum aſpicio; Hodierni verò Patres, ſi non verbis tamen factis ſymboli loco uſurpant; Sordet nobis Cœlum cum Terram aſpicimus.*

(c) *Quanta Auri fames eſt in Jeſuitis? Quos verbis S. Chryſoſtomi alloqui placet; Quouſque ait, dic quæſſo, ita inſanimus in colligendis pecuniis? Quæ rabies cogit quotidiè à tam moleſtâ concupiſcentia infeſtari & nunquam ſatiari, ſed deterius habere quàm Ebrij? Non videmus quod ij, qui ante nos fnere, quamvis totius orbis victores eſſent, nudi & ſolitarij ex hac vitâ abreptò ſunt? hoc ſolum inde conſecuti, quòd rationes & pœna pro manibus illic ab eis exigerneтur. Chryſt. T. 1. in c. 11. Geneſ.*

MON. X.

De Diſciplinæ Rigore oſtendendo in Societate.

Teſtabitur diſciplinæ rigorem ejiciendo à nobis quicunque videntur Societati inutiles. Si cujuſcunq; conditionis & ſtatus juvenes conſumpſerint ætatem & vires, ſi morbo caden-ti & alio quoque poſtquam ingreſſi ſunt Societatem affecti fuerint. Cauſæ præter caſus reſervatos, ob quos exceptâ licentiâ erit dimiſſio, hæ erunt. Si devotas noſtras, & amicos Societati utiles ad alias Religiones dirigunt, aut parentibus indicant, ſive

ſive illis à quibus impediuntur, ne ingrediantur Societatem. Si in reſignatione bonorum erga conſanguineos affectum oſtendant, non dando totũ Societati. (*a*) Prius tamen tales per aliquot annos in Societate mortificentur; Fratres in officiis vilibus ponantur, detineantur in ſcholis inferioribus, ut ibi doceant, altiora ſtudia præcipuè aſpirantibus Theologiæ Annus non concedatur. Capitula frequentia tempore menſæ dentur. Patres prohibeantur à Confeſſionibus excipiendis, arceantur à converſatione externorum, accipiantur res charæ ex cubiculis, frequentes pœnitentiæ publicæ aſſignentur. Hinc erit facile ad dimiſſionem progredi. Si tales in ſupradictis conquerantur coram Provincialibus, non credatur facile, excuſetur factum. Dicatur teneri eos obedire Superiori, ubicunque non eſt peccatum. Non ſint ſcrupuloſi in dimiſſione Superiores. Cum enim ordo noſter gaudeat nomine Societatis, & Sociorum, non mirum Societati annexam eſſe dimiſſionem. Nam Societatis & Sociorum vincula facilimè ſolvuntur, neque ſunt perpetua. Dimiſſio cæpit cum inſtituto Societatis; id evidenter ex eo patet, quia Societas habet vota ſimplicia pro Scholaſticis, Coadjutoribusque formata, quæ vota non habent mutuum contractum, ac ſi Societas habeat obligationem, Perſonas cum talibus votis in Societate retinere ſemper, id enim nequaquam eſt. Tum enim obligatio cadit in voventem, non in Societatem, quæ poteſt cum talibus votis quoſcunque dimittere, quando, quacunque de Cauſa ſibi videtur. Licet enim in Societate alii faciant profeſſionem IV. votorum, alii III. votorum ſolennium more aliorum Monachorum, tamen & tales à Societate dimitti poſſunt.

(*a*) *Ecce vehementem amorem & curam bonorum adipiſcendorum & pecuniæ in Jeſuitis! huic fiſco alas ſuas ſic implicuerunt, ut nullo modo ſe expedire queant. Quæ autem pro animo curæ vigilant? Quæ animi eſt hæreditas? quantum pro Spiritu laboratur? quæ meditatio ſuſcipitur ad capitalis cauſæ defenſionem? Pleraque omnia charo corpori fiunt, huic ſeritur, huic occatur, huic metitur. Liceat dicere: Hæc eſt ſapientia carnis, ſed fatuitas Spiritus, hæc ho-*

d *minis*

minis providentia, sed negligentia est Christiani. *Sunt verba P. Drexelij in suo Tribunal. l.1.c.8.§.1.p.m.*143.

MON. XI.

Qualiter se unanimiter præstabunt nostri contra dimissos.

Quoniam tales multum obesse possunt Societati. (*a*) Proinde obvietur his modis antequam è Societate dimittantur, præmittatur ejus rei testimonium de dimisso, ad eos Spirituales & sæculares Dominos, quorum ipse occupare posset gratiam, ibique habere locum. Dicantur malæ ejus inclinationes, vitia, defectus, quos de se in manifestatione conscientiæ aliquando Superioribus aperuerat, & juxta quam in Societate dirigebatur, cedendo in hoc jure suo. Quod si erunt Domini nostris addicti, cum exaggeratione causæ dimissionis proponantur, de dimisso in exhortationibus dicatur, quod iterum ardenter petat ingredi Societatem, & æternæ insinuentur causæ dimissionis, illæ, ob quas vulgus nos odio habet. (*b*) Sic enim plausibilior erit dimissio quorumcunque. Si dimissus habeat credi tum contra nos dicendo, obvietur huic rei per nostros graves viros, qui edictis dimissi opponant, aut bonitatem Societatis, famam, fructum, quem facit in Ecclesia DEI, bonam existimationem vitæ (*c*) & doctrinæ, (*d*) ob quam Regibus, Principibus & Magnatibus sunt à Confessionibus, Concionibus, explicent zelum nostrum in proximo, (*e*) multo magis in unumquemque hominem Societatis suæ. Invitentur ad Prandia illi, apud quos dimissus videtur habere partes, quibus persuadendum est, ne faveant dimisso, & teneri eos præsumere de Religione, quo tempore causas dimissionis exponent, omnem eis prolabilitatem ostendendo, & defectus dimissi omnes enucleatè exponendo, nihil omittendo, etsi dubia aliqua sint. (*f*) Caveant dimissos promovere ad ulla officia Ecclesiastica, nisi aut dederint non modicam pecuniam, aut sua bona inscripserint, (*g*) aut singulari modo testati fuerint se esse amicos Societatis. Id etiam Principi & Regi persuadeant Confessarii, aut collaturi alicui honores, Argumentum accipiant ejus bonitatis ex liberalitate, &

bono

bono affectu ejus in Societatem nostram, fundando ei Collegium, aut simile beneficium ei præstando. Si contingat, dimissos habere favores hominum, diligenter inquiratur in vitam eorum, & mores & defectus, qui per Amicos & Devotas nostras ordinis inferioris divulgentur. Ipsæ ne dimissis faveant, & apud se conservent dimissos, terreantur censuris, negetur absolutio si sint pertinaces. Laudes dimissi extenuentur argutis propositionibus, ambiguisque, ita tamen ut possint avertere animos hominum à dimisso, & ejus fidem diminuere successus mali, qui accidunt dimissis, evulgentur cum magna commiseratione, ut reliqui terreantur & vel inviti maneant in Societate.

Exquisitissimum commentarium in hoc Monitum edere possent illi, qui Societatis ordini valedixerunt & ad alia ac alia officia tàm Ecclesiastica quam sæcularia fuere promoti. E quibus aliquot mihi noti ea, narravere, quæ nunquam ferè credere potuissem nisi jam præsenti Monito in relatorum fide confirmarer. (a) Viderunt enim fortassis, quæ non consentanea cum instituto tàm Sanctæ Societatis esse judicarunt. (b) Quæ verò sint illæ causæ ob quas vulgus ordini S. Ignatii non benè vult, licet non addantur, tamen facillimè possunt deprehendi, Benevolo Lectori eas è Monitis hisce editis colligere nullus labor erit. (c) An verò in rei veritate vita Patrum Societatis congrua sit existimationi exteriori, haud facile aut juramento aliquo affirmarem, quis enim digito tot contradicentium labella compescere posset? (d) Etiam de doctrina, quam hodierni PP. Societatis tradunt, perfecta synceritate non pauci dubitant, ac quibusdam haud infimæ sortis viris videtur illos planè nova antea nunquam audita & ex Hæreticorum principiis orta docere: notum est, quod acutissimus Capucinus R. P. Valerianus Magnus Jesuitas non tantum in publicis scriptis hæreseos insimularit, sed & in literis ad S. P. Alexandrum VII. p. m. de dato Brinnæ in Moravia 28. April. 1656. & Pragæ 10. Novemb. 1660. (quæ typo evulgata mihi ad manus sunt) idem perscripserit. An ita sese habeat, videant ipsi. (e) Quem zelum in proximum? si dixissent scelera nostra in proximos, veritati magis congrua scripsissent, nisi quis zelum Jesuitarum in proximos appellare velit, cum viduarum & orphano-

rum bona pecuniasque ad se rapiunt, & per hunc zelum a[illegible]tunt Cœlum. (f) *H.e. etsi puraputaque mendacia sunt; hoc enim vitium Iesuitis valdè inhæret, licet id simulationis & æquivocationis honestis nominibus palliare conantur.* (g) *Peritissimi artifices Iesuitæ sunt, quia ex vitiis virtutes facere possunt, ex falsis vera & ex veris falsa, hacque omnia si pecunia ac bona illis traduntur felicissimè perficiunt.* (h) *Vetulas secundum proverbium apud Germanos in usu,* Wo der Teuffel nicht hin kan, schickt er ein alte Weib.

MON. XII.

De Delectu juvenum pro Societate, modoq; eos retinendi

Summâ arte & industriâ opus est, ut recipiantur juvenes ingenij boni, [a] forma non contemnendâ, [b] genere Nobiles & opulenti. [c] Ut tales pertrahantur, ostendatur illis favor à præfectis, non permittantur vexari à Præceptoribus, laudentur crebrius, dentur ipsis munuscula, accipiantur ad vineam, tractentur fructibus, in solennitatibus accipi possint ad refectionem. Cum aliis descendendum ad virgas, objicienda crimina ex aliquibus conjecturis, iratus vultus ostendendus, acrius compellandi & reprehendendi, juvenilis ætas ad omnia mala quam sit in illis proclivis, ostendatur, nisi Religiosi fiant damnatione æterna terrendi: Dum in Societatem admitti petunt, non statim admittantur, differantur ad tempus, in Colloquiis commendetur illis suave institutum: ita enim magno desiderio crescente, alacrius instabunt admitti, & si voluerit aliquis exire ex talibus, revocetur illi ardens desiderium, quo ingressum Societatis urgebat. Quoniam verò maxima est difficultas in alliciendis Senatorum filiis & hominum ditiorum in Patria. Si tales sint, mittantur Romam ad Novitiatum, p[illegible]en de ipsis moneatur Generalis aut Provincialis Romanus. Quod si in Germaniam, Galliam, Italiam veniant, & Societati [illegible]averint, sine scrupulo suscipiantur in illis dominiis, in quibus Monarcha est addictus. Sub tali enim Domino & hæc & similia erunt peragenda, siquidem illius subditi, cum nostro favore indigeant, non facilè contra nos insurgunt, & si insurgant nihil lucrabun-

buntur. Non omittantur occasiones filios eorum, qui studiorum causâ ad nostra Gymnasia ex illis Provinciis veniunt, maximè tunc cum incipiunt pecuniam amittere, & partim pudore amissæ pecuniæ, partim metu Parentum aut aliorum, ob molestias, quas timent induci se sinunt. Res habuit bonum successum in Germanis & Polonis. Instantiæ occurrendum pro qualitate. Personæ exhortationibus de malo successu dimissorum, bonoque vocationis. Ut vero Parentes & affines ingredientium ad nos sint contenti, ostendatur Excellentia instituti nostri, (d) & tantus applausus mundi (e) & honor, qui defertur à Principibus Societati, (f) insinuent se in intimam familiaritatem ipsorum, reddantque eos contentos, si id Personæ dignitas & necessitas postulabit.

(a) Quorum ingenia Capacia sient ad perdiscendas varias Jesuitarum technas & fraudes, ut deinde iisdem ad bonum Societatis quam commodissimè uti possint. (b) formâ juvenes sient non contemnendâ ut cum tempore juniores viduæ aliæque fœminæ libentius iis pro confessariis uti, & tanquam patres suos Spirituales majori amore prosequi queant. (c) Quia priora tria requirendorum juvenum requisita non semper in omnia ac quævis subjecta cadunt, ingenium nempe bonum, forma Excellens Nobilitas generis; ideoque additur quartum ut ipsi juvenes sint opulenti, hisce enim maxime insidiantur vulpes Ignatiani testantibus hoc Praxi quotidiana & infinitis parentum familiarumque illustrium exinde obortis querelis. (d) Institutum Societatis nullo modo culpandum, sed quia ab hoc instituto PP. longissimè abscedunt, tota ideo Societas in magno odio habetur. (e) Cur attentius applausum mundi amantissimi Patres, cum non sitis amplius de mundo? An nescitis amicitiam mundi esse inimicitiam DEI secundum S. Jacobum?

(f) Principes plerosque mancipiorum instar à Jesuitis haberi universus ferè Catholicus orbis clamat admiratur, deplorat, & mutationem avidissimè exoptat; DEUS vota secundet!

MON. XIII.

De Monialibus.

Caveant offendere Moniales nostri Confessarii, cum tantæ sint benefactrices ut aliquæ fundationem juverint Collegiorum, plurimæ mediam dotem dederint, annuente Monasterio & Abbatissa. Quare ob clausuras non molestent eas, relinquant Episcopis, conservent utique favorem monialium, ne contra nos agant ob dimidiatas dotes, easque exprobrent nostris datas.

Præsens Monitum ullis notis illustrare super vacuum foret, siquidem Jesuitarum favor erga Moniales satis superque notus; Si tamen apud summum Pontificem Bullam illi impetrare possent, vigore cujus (sicut quidam ordines Monachorum facere coacti sunt) hæ Monasteria sua relinquere & societati tradere tenerentur, certè non prætermitterent, initio jam dum facto cum Monasteriis Falckenhagensi in VVestphalia Anno 1626. *Gradenbergensi in superiori Palatinatu, Neoburgensi ad Danubium, & Merkemensi in Flandria.*

MON. XIV.

De Casibus reservatis & causis dimittendi à Societate.

Præter casus districtos in instructione, à quibus solus Superior absolvet, aut Ordinarius Confessarius ex ejus licentia, hos casus, videlicet Sodomiam, [a] fornicationem, adulterium, stuprum, tactus impudicos maris aut fœminæ, & si quis quacunque ratione moliatur contra Societatem qualicunque zelo, sciant esse causas dimissionis à Societate, nec prius absolventur, quàm prius extra Confessionem promiserint, se id manifestaturos per se, ut si confessarius advertat peccatum cum complice, aut grave damnum Societatis non absolvet, nisi Pœnitens promittat, aut se ipsum Scripturum de hac re Generali, aut dederit facultatem scribendi Confessario, aut Superiori de tali causa, aliàs nullo modo absolvet pœnitentem. Generalis verò Casu Pœnitentis cognito, re collatâ cum Secretario de Casu Pænitentis id concludet, qui pro Societate pœnam assignabit, quam si acceptam noluerit, nunquam validè poterit absolvi. Id faciendum conclusi-

clusimus cum Theologis nostris in casibus reservatis, & approbatione sedis Apostolicæ, frustra quibusdam repugnantibus. Taceat tamen Confessarius ob id dimittendum pœnitentem. Si dixerit de se pœnitens extra Confessionem, dimittatur. Si dicere noluerit, servetur cum illo illa ordinatio scripta contra victos. Interim tam diu non absolvatur, quamdiu noluerit extra Confessionem. Si aliqui ex nostris Confessariis audierint, aliquam externam Personam cujuscunque Sexus cum homine Societatis rem turpem habuisse, non eam prius absolvent, quàm dicat extra Confessionem, & si dixerit dimittatur noster, externa Persona absolvatur. Si duo è nostris Sodomiam committent, qui non manifestabit dimittatur, qui verò manifestabit retineatur in Societate, sed ita mortificetur, ut velit nolit post, parva interjectâ morâ alium sequatur. Poterit etiam Societas cum sit corpus quoddam his de causis se exonerare personis, si successu temporis earum, deprehenderit esse crassas in moribus & loquela: imo quascunque viderint superiores causas Generali monito, quemlibet à Societate dimittent. Ut citius dimittantur, vexentur, fiant omnia contra inclinationes eorum, negentur quæ petunt, etsi res parvæ sint, arceantur à studiis majoribus, dentur sub tales superiores, de quibus non sint contenti: Nec tales teneantur in Societate, qui vexati insurgunt in superiores, de eoque coram fratribus conqueruntur, aut displicere sibi dicunt, quæ fiant in Societate, quoad viduas & directionem rerumpublicarum, laudantque Venetos [b] à quibus pulsa Societas. Immediatè ante dimissionem acriter exagitetur dimittendus, amoveatur à certo officio, & nunc ad hoc nunc ad illud officium sibi commissum; pro levi excessu duriores assignentur pœnitentiæ. Ex cathedra tempore mensæ defectus recitentur, ita ut confundatur, & per idem tempus, dum notabilem patientiam ostenderit, aliis audientibus & videntibus, tanquam is, qui est scandalo aliis, dimittatur prius tamen res ejus revideatur & aliquo jubeatur ire ad vineam, vel vicinum collegium, interim quo in loco minimè sperat in eo dimittatur.

(a) *Bone JESU, quid de Sociis tuis audio? ergo sunt inter eos,*

eos, Sodomitæ, fornicatores, adulteri ſtupratores, impudicis? Cur concedis tales nefarios homines ſocios ſe tuos appellare? An oblitus es verborum ex divino tuo ore prolatorum. Qui me non ſequitur, non poteſt eſſe meus diſcipulus? ſi non diſcipulus, cur ſocius? proh DEUM Immortalem, quis tam horrenda & abominanda flagitia à membris ſanctiſſimæ Societatis committi unquam ſomniare potuerit? memini me legiſſe S. Auguſtini effatum; quid prodeſt nomen, ubi res non eſt? Quam multi vocantur Medici, qui curare non norunt? Quam multi vocantur vigiles, qui totâ nocte dormiunt? Sic multi vocantur Chriſtiani, & in rebus non inveniuntur, quia hoc quod vocantur non ſunt: id eſt, in vitâ, in moribus, in fide, in ſpe, in charitate. Quomodo ergo te glorîaris eſſe Chriſtianum? Nomen habes, & facta non habes. Qui Chriſtum non habet in ſe, Chriſtianus non poteſt dici. Si hujus ſanctiſſimi Doctoris ſententiâ Chriſtiano nomine indignus eſt, qui Chriſtum non imitatur, indignior certe erit titulo Socii JESU, nam ſocium Chriſti ſe nominare aliquid majus excelſiusve in ſe continet, quàm Chriſtianum tantùm eſſe, major ad id requiritur imo maxima perfectio tàm in doctrina, quàm in vita & moribus. Ideo RR. Patres citò citiùs veſtram vitam, ac ſi vera ſcripſit ſæpius allegatus P. Valerianus M. veſtram doctrinam, veſtros mores actionesve corrigite, Chriſtum veſtrum Magiſtrum, cujus ſocii vocari vultis, induite & imitamini, ut omnes Chriſtiani vos verè pro ejus ſociis habere poſſint. [b] *Ac Gallos quod ſocietatem quondam ejecerint, & tàm Hi quàm Veneti illam durioribus præſcriptis conditionibus deinde receperint. Addi h. l. etiam debuiſſent Archiepiſcopi Salisburgenſes, qui de Jeſuitis introducendis in Diœceſin ſuam nihil unquam audire voluerunt.*

H. Drexel. Tribunal. Chriſt. l. 1. c. 7. §. 3. Ex Aug. T. 9. in epiſt. 1. Io. tr. 4. c. 3 & tr. 5. ac T. 10. Serm. 13. in Nat. Dom.

MON. XV.

Quis conſervari & foveri debet ex Perſonis ſocietatis?

Primum locum tenent ſtrenui operarii qui non modò ſpirituale ſocietatis bonum, ſed & temporale promovent [a] ut ſunt viduarum opulentarum Confeſſarii, qui dum ad decrepitam ætatem perveniunt, amoveantur à viduis, alii ipſis cum recentibus viribus & ætate ſufficiantur. (b) His concedantur, quæ-

quæcunque petunt, in cibo, vestitu, aliisque rebus, nec vexentur à Ministris Pœnitentiariis. (c) Contra tales non sint creduli superiores. Habeatur & eorum ratio, qui minimos defectus in aliis notatos superiori deferunt, aut positi in officio Ministri Pedelli alios mortificare sciunt, non ex affectu, sed amore disciplinæ religiosæ. Foveantur juvenes illi, qui sunt affines nostrorum benefactorum & fundatorum. Quare mittendi ad studia Romam, si studeant in propria Provincia concedantur illis ea, quibus foveri possent. Fiat gratia illis etiam juvenibus, qui nondum resignationem fecerunt bonorum pro societate, post factum pane non lacte pascendi. (d) Nec ii postremum locum babeant, qui multos selectos juvenes ad Societatem inducunt, tanquam bene affecti instituto Societatis.

(a) *De temporalibus enim Jesuitis major est cura quam de Spiritualibus, quod per pracedentia monita perspicuè videre est, in quibus omnia qua dicuntur sapiunt carnem non Spiritum.*

(b) *Quia vidua ut plurimum sunt lascivæ, præsertim juniores, sapientissime à PP. Societatis constitutum est, ut decrepita ætatis confessarij dimoveantur, suffectis aliis virium robustarum, qui tempore necessitatis tàm Spiritualibus, quàm corporalibus officiis viduis, illis presto esse possint; de viduis provectioris ætatis minor PP. est cura, nisi sint opulentæ, his optant felicissimum ex hac vita transitum ad alteram beatiorem, ut citius earum bonis opibusve gaudere possint.*

(c) *Licet tales aliquid commiserint ob quod duriores pænitentiæ aliàs ysdem injungendæ forent, tamen non attendatur, ne crebrioribus ejusmodi pænitentiis injunctis corpore animoque debilitentur, ac dein viduas cum bono Societatis visitare impedirentur.*

(d) *Secundum illud, fistula dulce canit, volucres dum decipit Auceps.*

MON. XVI.

Quid præterea tum declinandum tum observandum?

Ne nimium nobis affectum adscribant divitiarum, (a) juvabit Mediocres non admittere Eleemosynas pro ordinariis officiis, quæ fiunt à nostris. Cum viduis acrius agant, quæ se ex-

e hau-

hauſerunt dando noſtris. (*b*) Idem faciendum cum perſonis noſtris, qui pro Societate fecerunt reſignationem: imò quomodocunque tales dimittantur, aut nihil eis reddendo, aut ſaltem benè detrahendo ob ſumptus eorum cauſa à Societate præſtitos. (*c*) Hæc Privata Monita diligenter ſervent penes ſe ſuperiores, & paucis eiſque gravibus ex Prioribus communicent, ex iis qui conſtruant alios, quoniam ſerviunt cum fructu Societati; neque ut ſcripta ab altero, ſed ut ex peculiari prudentia deprompta aliis communicent, quod ſi (abſit?) in manus externorum hæc monita veniant, quoniam ſiniſtrè ea interpretantur, negentur hoc ſenſu eſſe Societatis, per iſtos confirmando è noſtris, de quibus certò ſcitur, eos talia ignorare.

Opponantur his Privatis Monitis generalia monita, & ordinationes impreſſæ aut ſcriptæ, his Privatis contrariæ: Deinde inquiratur an non ab aliquo e noſtris prodita ſint (neque ſuperior ullus erit tam negligens in aſſervandis tantis ſecretis Societatis) & ſi in aliquem vel leves erunt conjecturæ, illi imputetur & ex Societate dimittatur.

(*a*) *An vero non adſcribendi Jeſuitis ſient affectus divitiarum judicare poterit prudentiſſimus Lector ex omnibus hiſce privatis Monitis.* (*b*) *Niſi viduæ ſemper habeant quod dent Jeſuitis, ſtatim ceſſant eorum erga illas affectus, & crebriores viſitationes, ita ut nuper aliquis patres Societatis ſimiles eſſe non infacetè dixerit hominibus illis,*

—— humeris, quos ſi quis geſtat in urbem
Auſoniam, Domiti quæ caput orbis erat:
Nec tamen ad Portam placidè deponat eoſdem,
Gratia præteriti nulla laboris erit.

(*c*) *Ecce ſpecimen Jeſuiticæ ingratitudinis! Ethnicorum veterum dictorium fuit hominem ingratum ſi dixeris omnia vitia dixeris, hoc illi ex ſana ratione hauſerunt, & qui Chriſto nomen dederunt, Religioſi, Sociique ejus nominari volunt, ingratitudinem colant? Stupenda res! Aliter ergo docent quam faciunt? ac aliter faciunt quam docent? Quis tales non odio haberet? Quis illis bona ſua opes ſuas tradat, reſignet, donetve, ſi nec nimia pro omnibus beneſi-*

neficiis præstitis gratitudinis guttula speranda? Ego certè si crœsi opes possiderem ne obulum quidem huic avaræ & ingratitudinis vitio laboranti Societati optarem, sed omnia mea in egenos potius distribuere vellem, sic à DEO eorum retributionem sperare possem.

EPILOGVS.

Sicque Amicissime Lector bonam magnamque partem arcanorum Monarchiam Jesuiticam firmiter sustentantium & stabilientium hæc Monita te edocuerunt, ex quibus satis superque perspicere, est scopus & finis Societatis; quot peccata, quot scelera apud eos modo teguntur palliantur, supprimantur, dissimulantur, defenduntur? culpam à se in alios vertere jam quotidiani apud eos moris est; gravissimas injurias honestissimis nominibus prætexere apud eos frequentissimum. Et quamvis absurdè atque etiam impiè in Societate fiant plurima, ea tamen speciosissimè, quasi omnia ad Mojorem DEI gloriam fierent, purpare norunt, ut jures esse sanctissimos. Indaga in eorum Errores, & huic Alterivè rem malè gestam objice, mox causæ, argumenta, rationes, palliola, prætextus, mantela mille in promptu erunt, quibus errores honestissimè vestiantur; nulla ab eis commissa injuria rationibus caret, injustitiæ nullum deest palliolum, errores formoso nomine purgare artificiosissimè sciunt, omnibus nimirum vasculis suum invenerunt operculum. Veritas apud eos ludibrio est. Mero meridie tenebras sæpe densissimas inducunt, & diem artificiosa nocte involvunt, ut certam jures esse Eclipsin obi Collegia & inspice; Plenissimi sunt simulatione, dolis, hypocrisi, fraudibus, mendaciis. Et horum plurima in lucem non emergunt, tacentur, intra Privatos Collegiorum Parietes latent, ac quam studiosissimè celantur. Verborum & cœremoniarum apud eos plurimum est, parum amoris & fidei. Verba speciosa, ceremoniæ blandæ sunt, sed corda amara natant felle, Principes, Magnates, aliosque Viros opulentos, ac viduas decipiunt, opprimunt,

Hæc cum seqq. ad imitationem verborum P. Drexelio usurpatorum in Trib n l 1. c. 8. § 4. de universali orbis statu ad particularem esu earum applicare lubuit.

munt, vexant, deprædantur. Varia excogitant nova, ac ferè ex Hæreticis principiis pullulantia dogmata ac ſententias, & multum ſe promoviſſe credunt cùm diverſa docent ab aliis. Interim tamen florent præ omnibus cæteris Religioſis ordinibus tàm vitiis quàm divitiis felices, ut omni mundo pariant admirationem. Nihil niſi ſpe commodi faciunt, ideoque tàm honeſta quàm inhoneſta laudare iis mos eſt, modo inde ſentiant fructum aliquem. Non obliviſcar per omnem vitam meam verborum quæ unus è Societate, cum ultimum vale ei dixiſſem, erga me protulit petiitque ne ſcandalum caperem ob ea quæ fortè vidiſſem aut audiiſſem. Vindictæ ſunt cupidiſſimi, experire ſi placet, P. Valerianum Magnum Capuccinum teſtem producimus, hunc Religioſiſſimũ, Doctiſſimum & Catholicæ Eccleſiæ Utiliſſimum Virum, quia hæreſeos Societatem optimo fundamento & firmiſſimis rationibus nixus accuſarat, & in Converſione hæreticorum bonam operam navarat, tanta vindictæ cupiditate perſecuti ſunt, ut nec veneranda ejus canities (ſeptuagenario enim major erat) nec ulla alia cauſa dimovere illos potuerit, quin Viennæ è Monaſterio Capuccinorum, ex conceſſione Nuntii Apoſtolici, Viennenſis Dn. Caroli Caraffæ Epiſcopi Averſani juſſu Superioris auctoritatis (ut credebatur) licet invitis & permisſione Potentisſimi ac Piisſimi Cæſaris, (quos importunisſimis ſuis efflagitationibus & mille conquiſitis mendaciis veritatis colore fucatis, in partes ſuas pertraxerant) per aliquot milites extractus in Hoſpitalem Domum prope Monaſterium S. Crucis 4. Februa. A. 1661. velut obſcurus homuncio aut tenebrio captivus deduceretur; multique putant Jeſuitas candidisſimo illo Patri cauſam accelerati obitus extitiſſe, quod facile credere eſt, licet enim tot ac tantæ perſecutiones animum illius in omnibus calamitatibus conſtantisſimum frangere non potuerint, nec ille aliud ſcutum quàm Patientiæ objecerit & vera manſuetudinis loricà indutus, invictum ſeſe, omnium incurſibus malorum, pugilem oppoſuerit, tamen corporis ſenio jam tabeſcentis vires magisque inde ita enervatæ fuere, ut tandem Salisburgi (quo poſteaquam è cuſtodia Viennenſi honorificè liberatus fuerat, a præ-

fato

fato Nuntio Apostolico destinabatur) in Monasterio Capucinorum 29. Jul. dicti Anni ætatis suæ 75. ann. de quibus in Religione 60. exegerat, placidissimè ac piissimè e terris in cœlum migravit, cujus memoria semper erit in benedictione: Dignus certè ut Sanctorum Albo ob Religiosæ pietatis præstantiam, & alia benè merita, tandem adscribatur. Quæ contra R. P. Andream de S. Theresia Carmelitam discalceatum. Hi venerabiles JESU Socii ante paucos annos ex merâ invidia cum Magno Catholicorum scandalo, hæreticorum autem jubilo moliti sint in Bavaria, jam non dicam, ne famosum me scribere libellum clamitent, appello eorum conscientias testes. Ita nimirum à JESU Christo, cujus se Socios (quàm verè autem?) nominant edocti, scil. Quas partes sibi in gubernatione Politica ubique locorum arrogent, jam lippis & tonsoribus notum, neque eget multis demonstrationibus sufficit, Neminem hodie in Aulis, ubi Jesuitæ Principibus à Confessionibus sunt, promotionis ullam spem habere posse, nisi Confessariorum favore ac Patrocinio uti, ac Mancipii instar iis servire velit, vidi ego & obstupui, Admiratus Principum hac in parte simplicitatem; imò nullum negotium neque Consilium etiam in minimis rebus tractatur ac concluditur, nisi prius consenserint Confessionarij, ita ut ferè directio tam in Ecclesiasticis quàm in sæcularibus tota ab iisdem dependeat. Hæcque est causa Principalis ob quam ab omnibus odio habetur tota Societas; refluit mihi hoc loco in memoriam quod olim legi, de quodam, qui dixisse fertur, omnes bonos Imperatores in unum Annulum inscribi posse; Ego idem de Patribus Societatis ajo, omnes Jesuitas bonos ac morbo Epidemico gubernationis Politicæ non laborantes uno Annulo inseri posse; statim enim ac quis Sanctam hanc Societatem ingreditur, nisi sit plane stupidus, tam facili methodo ad cognitionem istius artis à PP. Practicis perducitur, ut licet vel ne articulum quidem antea in eadem cognoverit, Perfectissimus Doctor brevi evadat. Si hunc Nævum corrigere scirent, in majori certè veneratione apud omnes essent; hoc enim certum, ipsum Societatis institutum scopum, finem & Regulas, optimis Principiis atque fundamentis, sique in iisdem uti prima

S. Ignatii intentio erat, firmiter hactenus Socij perstitissent haud dubiè in Ecclesiâ Catholicâ solis instar quotidiè illa splenderet, cujus radiis non tantùm juventus in bonis artibus erudiretur, Hæretici ad fidem veram converterentur, sed & totus mundus perfectissimum & omnibus numeris absolutum exemplar fidei, vitæ, morum ac actionum, quod imitaretur haberet. Nam licet specioso hoc usitato symbolo omnia ad Majorem Dei gloriam, nequitiam suam Jesuitæ palliare conantur, tamen rationis expertes adeò non sunt omnes Catholici, ut non agnoscant ex unguibus Leones. Nullus è cæteris Monasticis seu Religiosis ordo præter hunc est, qui omnium admiratione tam brevi temporis spacio (centum enim & triginta Anni vix ab institutâ primùm Societate præterlapsi) ad tantam potentiæ fastigium pervenerit, tot divitiarum & bonorum thesauros sibi acquisiverit, tantam æstimationem apud imperatores, Reges, Principes, imò universos sibi peperit: ast quod citò fit citò perit. Attendite paulisper Religiosissimi Patres, curiosè & attentè, legite & relegite, incrementum & decrementum, ordinis Templariorum Equitum & habebitis in quo exerceatis vestra ingenia & judicio; Placet in gratiam Lectoris Historiam ordinis præfati hoc loco referre ex Baronii Annalibus Ecclesiast. ejusq; Continuatore Abrah. Bzovio. Sic autem ille ad A. C. 1118. Eodem inquit anno institutus est ordo Militiæ Templariorum, de quibus ista Willelmus Tyrius: Eodem anno quidam Nobiles Viri de Equestri Ordine DEO Devoti, religiosi & timentes DEUM, in manu Domini Patriarchæ (Hierosolymitani) Christi servitio se mancipantes, more Canonicorum Regularium, in Castitate & Obedientia, & sine proprio velle perpetuò vivere professi sunt. Horumque Equitum Ordo in Concilio Trecensi sub Honorio II. P. A. C. 1127. habito confirmatus est. A. Bzovius ad A. C. 1309. hæc habet. In Hierosolymitana urbe erat Religiosorum Militum ordo institutus, qui cum juxta Templum Domini cohabitarent, Templarii dicti sunt. Horum munus & officium fuit tueri fines ac vias Hierosolymitanæ Ditionis ab incursionibus hostium, & latrociniis; ut advenæ & peregrini ad Sancta illa loca tutò possent accedere.

de Bello Sacrol. 12. c. 7.

Baron. ad A. C. 1127.

cedere. Ex hisce militibus multi olim Christi causa, & sanguinem profuderunt, & frequenter vita discrimen adierunt. *Verum* deinde à Sancto hoc instituto recedentes, Patriarchæ Hierosolymitano, à quo prima beneficia acceperant, obedire renuerunt, Ecclesiis decimas & primitias subtraxerunt, atque omnibus redditi sunt infesti. *Abyssinorum* etiam Legatum à Templariis contra jus gentium fuisse occisum, scribit Willelmus Tyrensis. Præterea quemadmodum in Bulla indictionis Concilii (*Viennensis*) Clemens (PP. *V.*) memorabat, ad sedem *Apostolicam* multi Principes *Viri* detulerunt eos in hæresin, *Apostasiam*, aliaque nefanda vitia incidisse. Pontifex Clemens *V.* itaque an hæc vera essent diligenter investigavit, & quibusdam Cardinalibus, ut ipsi quoque investigarent, præcepit; ac tum Magistrum ordinis tum complures alios in ea nefanda vitia esse prolapsos reperit: Cumque Templariorum Religio esset toto jam ferè orbe Christiano proseminata atque dispersa, Clemens ut remedium aliquod huic tanto malo posset adferre, Concilium convocandum sibi existimavit, atque indixit. Hæc Bzovius. Qui deinde ad A. C. 1311. refert sententiam Gullielmi Episcopi Mimatensis de illis latam; cujus hæc fuere verba. De primo sc. articulo Templariorum variis varia sentientibus; aliis dicentibus & asserentibus, quod dicto ordini danda erat defensio; nec debere tam nobile membrum Ecclesiæ, à corpore ejusdem absque juris rigore, & magna discussione truncari, aliis vero opinantibus, dictum ordinem destruendum, sine aliqua tarditate; tum propter grave scandalum, contra dictum ordinem in tota Christianitate exortum, tum quia contra ipsum multi errores & hæreses per dictos processus & inquisitiones, plusquam per duo millia testium reperiebantur esse probati. Quid autem senserim circa dictum *Articulum*, sequitur in hæc verba. Quamvis infirmitas proprii corporis, qualitasque loci ac temporis me graviter affligentes, auferant opportunitatem deliberandi plenius & studendi, circa ea pro quibus Dominus noster summus Pontifex prout in sua prima sessione prædicta Senatui exposuit decreverat istud sacrum Concilium celebrandum, tamen prout parvitati mei occurrere potest ingenii, C. L

mihi

mihi videbitur, salva semper auctoritate majorum: quod quantum ad negotium Templariorum & ordinis Templi attinet, Ecclesiæ DEI, & toti fidei Christianæ mirabiliter expediret, quod idem Dominus noster, sive de rigore juris, sive de plenitudine potestatis, istum ordinem diffamatissimum, qui, ut ita dicam, odorem nominis Christiani, quantum in se fuit apud incredulos, & infideles foetere jam fecit, & nonnullos fideles in stabilitate fidei titubare, sine tarditate aliqua, rejectis frivolis & calumniosis allegationibus super defensione tollenda ex officio suo omnino tolleret: bonis ejus ordinis, dispositioni sedis Apostolicæ reservatis: & sine tarditate dico: etiamsi a prima sua institutione fuerit ordo bonus. Cum dicat Scriptura di. C. verum. Quod si nonnulli ex Prædecessoribus nostris fecerunt aliqua, quæ illo tempore potuerunt esse sine culpa, & postea vertuntur in errorem, & superstitionem, sicut de dicto ordine apparet, sine tarditate aliqua, & ejus magna auctoritate à posteris destruantur, sicut tam ibi, quam 4. Reg. 18. c. de Ezechia legitur, quod confregit æneum serpentem, quem Moyses Domino jubente construxit. Et iterum benè dico, sine tarditate; ne ex tarditate morosa, scintilla hujus erroris prorumpat in flammam, quæ posset incendere totum orbem, & fidem Catholicam non modicum denigrare; & accidat quod dicit Hieronymus, quod Arius una scintilla fuit in Alexandria, sed quia statim oppressus non extitit, flamma ejus totum orbem populata. 24. 9. 3. secundæ. Nec multum movere debet Dominum nostrum quod dicunt aliqui, prædictum ordinem qui Eccles. videtur esse membrum tam nobile, non debere sine juris ordine & plena discussione truncari: cum, salva pace dicentium, & propter grave scandalum, quod in Ecclesia DEI ex hoc ordine jam est ortum, & semper ubique tantum ex morosa dilatione crebrescit, non videtur tanta discussio requirenda, veritate dicente, Matt. 6. & 18. Si oculus tuus dexter vel brachium dextrum scandalizant te, erue eos, & projice abs te. Expedit enim, ut unum membrorum tuorum pereat, quam totum corpus. Item etiam expedit dictum ordinem tolli alia ratione: Videlicet ne eo remanente, semper indigna facti memoria refricetur,

tur. Unde super illud Levitici 20. Mulier quæ accesserit ad omne pecus, ascendi ab eo, mulierem interficietis, & pecus morte moriatur: dicit August. inde credendum est pecora jussa interfici, non quia peccaverunt, cum sint irrationabilia, sed quia tali flagitio contaminata, indignam refricant facti memoriam. Et est decretum 15. 9. 1. c. Mulier. Hæc Episcopus Mimatensis de extirpandis Templariis. Pergit Bzovius ad A. C. 1310. n. 7. Et, ad XIII. ait, Calend. Nov. in primo concessu, Templariorum causa producta est, quorum nomen multis turpitudinum maculis, infame esse cœperat, invidiosumque cognoscendi statuendique Patrum collatis sententiis negotium videbatur, quoniam ea res ad omnes pertinebat. Crimina inaudita non singulis modo, sed universis totique ordini objecta. Accusationis capita innumera erant: Hæc verò ut ad A. C. 1311. n. 7. refert, præcipua, aversæ nempe libidinis licentia, & patientia par; impurissimas inter se corporum partes deosculari, in omne fas & nefas avidos, idque honestatis specie tanquam jure concessum, probitati consonum. Ejus ordinis amplificationem numero copiisque curaturos omni conatu jurare, honesti inhonestique nullo discrimine. Addit deinde, Villaneus, Antoninus & alii à calumnia (Templarios) defendunt: fama frequentior & sensus propè omnium damnat: Divitias, quibus aucti immensum erant, malo fuisse ajunt: sive copiâ voluptatum virtutum indole, quibus res tantas terra marique perfecerant extincta, sive ex ea re invidia apud populum conflata, apud Principes spe lucri. Pergit Bzòvius & ad *A. C.* 1310. n. 8. ex Joh. Bocatii l. 9. de Casib. Viror. illustr. hæc habet; Sane dum penes eos (Templarios) paupertas Noverca libidinum viguit, militia votum, & vivendi exhibita norma optimè observata, facti sunt sanctitate florentes. Attamen dum pio labori undique Christianorum opes affluenter opem afferrent, sensim militantium mentes sub intrare deliciæ atque libidines cæpere. Et uti à Principio relictis perituris divitiis homines sacrum subibant onus: sic in processu quasi ad paratos Thesauros cæperunt impatientes inopiæ evolare. Inde castris, urbibus & populis imperare, sibi quietem servis bella committere, & Militiæ Magistratum oneris o-

 lim

lim officium, in honorem potiſſimum ſublimare. Nec dubium quantum augebatur potentia, tantum minuebatur & Sanctitas. Hactenus Bocatius. Et tandem in Concilio Viennenſi Decretum editum fuit à PP. ordinem Templariorum eſſe extirpandum (cujus exemplar ad A.C. 1312. n.2. Bzovius refert, dignum ut legatur) quo decreto ad omnes Provincias delato, Bona Templariorũ ubique occupabantur, & de Sontibus Templariis ſupplicium ſumebatur, ut id. n.3. enarrat. P. Drexelius de iisdem ſcribit, aitque, fuiſſe eos cœtum Religioſum, & diu bonum atque utilem, P. Theodor. Rhaus de iisdem verba faciens, inquit, Hi (Templarii) acceptâ à Bernhardo Regula, cum diu in diſciplina ſtetiſſent, & jam per totam Europam opibus incliti eſſent, ſubito convicti impietatis, aliorumque ſcelerum (ut nonnulli ſcribunt) juſſu Clementis V. deleti ſunt, quanquam alii injuriam illis factam dicant, propter falſas accuſationes, à malevolis ortas, ac propter bona, quæ variis locis poſſidebant. Talis fuit Exitus Equitum Templariorum, qui ſupra 200. annos vix floruere, ſi nunc inſtituatur comparatio inter eos ac Jeſuitas, facillimum erit idem hiſce cum illis ominari exitium, nuperrimeque audivi Titium in hæc verba de ordine Societatis diſſerentem: Societas JESU, ajebat, ordo Clericorum eſt, quem ſub hoc ſuaviſſimo titulo & appellatione temerario auſu, Sanctus Ignatius de Lojola Nobilis cantaber quondam Miles (malum omen!) circa annum 1537. poſtquam in obſidione Urbis Pampelonæ globo læſus, mundana deſpicere, Cœloque (ſi Diis placet) ſimillimam vitam degere incœperat, auſpicatus eſt, Paulus III. Anno 1540. in Feſto Sanctorum Coſmæ ac Damiani Martyrum medicorum confirmavit, ac reliqui deinde qui ſecuti ſunt Pontifices comprobarunt. Hic ordo more aliorum ordinum in Caſtitate (ſed non ſemper) & obedientia (non in omnibus) & ſine proprio velle (nunquam) vivere profeſſus eſt ab initio, Sociorumque munus & officium erat, erudire juventutem, convertere infideles & Hæreticos, & promovere incrementum Eccleſiæ Catholicæ. Ex iis multi Chriſti causâ in Indiis, Japponia, America, China, & aliis longiſſimè diſſitis Regionibus, & ſanguinem profuderunt, & frequen-

Tribunal. Chriſti l. 2. c. 3. §. 2. in altera Noe Arca p. 254.

quenter vitæ discrimen adierunt, qua propter non tantum facti sunt sanctitate florentes, ac toto jam ferè Christiano orbe proseminati atque dispersi, ita ut supra 30000. hodiè numerentur, verum & quidam ex illis Sanctorum Albo adscripti fuere: attamen dum piis illorum laboribus undique Christianorum opes affluenter opem afferebant illisque Collegia Palatiorum instar magnifica struebantur, sensim à sancto hoc instituto recessere & Sociorum mentes subintrare delitiæ atque libidines cœpere, ac ita quantum augebatur illorum potentia, tantum minuebatur & sanctitas; & uti à principio relictis perituris divitiis sacrum subibant onus, sic in processu quasi ad paratos Thesauros incœpere impatientes inopiæ evolare, loco Religionis Regiones, loco hominum humum quærere, ac loco DEI diem colere inde castris, oppidis, pagis, populisque quasi imperare velle, opulentorum pecuniis inhiare, viduarum, orphanorum, pupillorumque bona per fas nefasve sibi ac Collegiis suis acquirere; Nec pauperum Domibus (Hospitalia vulgo vocant) iisque appertinentibus annuis reditibus exceptis ac salvis; Politicis se immiscere Negotiis, Consilia subministrare ad interitum & ruinam Imperiorum, Regnorum, Principatuum, ac Rerumpublicarum tendentia unicum illorum opus erat, & adhuc est; Inimicitias inter Magnates serere ac ad bella sibi invicem inferenda instigare, atque subditos contra Dominos ad Rebelliones incitare summum penes illos studium & indefessus labor, Potestatem vitæ necisque super Principes sibi quasi arrogare scopus illorum; quæ causæ extiterunt, ut semel è Gallia An. 1594. ejecti Pyramis in loco publico erecta ad perpetuam rei memoriam, (Jan de Serre inventaire Genera de France F. 3. p. 416.) & à Venetis expulsi (utinam nunquam recepti) fuerint, indeque ferè omnibus Catholicis odio esse & reddi incipiant infesti: Cæteris Religiosis ordinibus non tantum jam subtraxere quædam Monasteria utriusque sexus, decimas ac reditus, sed indies ordines ipsos evertere laborant, & quidem sub specioso titulo, quasi omnia ad majorem DEI fierent gloriam, impunè hæc perpetrant, quodque pessimum est à vero Doctrinæ Catholicæ tramite illos abi-

abiiſſe & in Hæreſin, Apoſtaſian, aliaque nefanda incidiſſe vit.a à quibusdam haud infimæ ſortis viris affirmatum, Urbano VIII. Innocentio X. Alexandro VII. f. r. PPP RRR. & ſacræ congregationi demonſtratum fuit. Norunt hæc omnia Reverendi Patres, correctionem omnes Catholici avidè expectarunt & jam, dum anxiè expectant, ſed illi loco correctionis multis turpitudinum Maculis magis magisq; nomina ſua infamant; reperiuntur inter illos, (ſi vera, ſæpius mendax, eſt fama) Sodomitæ, Fornicatores, adulteri, (horreſco, addebat Titius, referens) ſtupratores, impudiciſſimi, petulantiſſimi, bone DEUS! & tamen Socii JESU nuncupari volunt, in omne fas & nefas avidi, idque honeſtatis ſpecie tanquam jure & ad illuſtrandam DEI gloriam conceſſum, probitati conſonum; ordinis tantum amplificationem bonis pecuniisve omni conatu curant, honeſti inhoneſtique, nullo diſcrimine, & qui non pro viribus ſuis eò laborat, hunc è Societate ejiciunt tanquam inutile terræ pondus: Divitiis augentur in immenſum, imò nihil ſomniant quam opes. Ardor in reducendis Hæreticis ad gremium veræ & Catholicæ Eccleſiæ in illis ferè extinctus eſt, dum de iſtorum ſalute non multum ſolliciti ſunt; imò crebrius obſervatum eſt, ſi quando è caſtris Hæreticorum quidam relictis & abjuratis ſuis erroribus veram Catholicam fidem amplexari velint, ac non ſtatim ad PP. Societatis, ſed ad aliorum ordinum Religioſos & eruditos viros, accedant, & apud eos publicam ejusdem fidei profeſſionem faciant, tales vix pro verè Catholicis ſed potius pro occultis Hæreticis ab illis haberi, inde Jeſuitas varia conſuevìſſe fingere mendacia eaque in vulgus ſpargere, quaſi de ejusmodi Profeſſorum conſtantia maximoperè dubitandum eſſet, ut omnium animos infeſtos erga iſtos reddant atque hoc modo omnem, ab ullo habendi auxilii præterquam ab illis, ſpem, adimant; cum enim verum Catholicum Jeſuitæ, haud æſtimaret, qui non in omnibus eorum ſe clientem & Mancipium præſtat. Hinc quidam pergit Titius, non vulgaris exiſtimationis viri reperiuntur, qui hanc Societatem funditus extirpandam eſſe volunt, ſine aliqua tarditate, tùm propter grave ſcandalum contra

tra

tra eam in Catholica Ecclesia exortum; tùm quia contra ipsam multi errores & hæreses per aliquot insignes aliorum ordinum Religiosorum viros reperiuntur esse probati. Alii vero opinantur & asserunt prædicto ordini dandam esse defensionem, nec debere tam nobile membrum Ecclesiæ à corpore ejusdem absque rigore juris & magna discussione truncari, sed prius per Concilium aliquod (uti in causa Equitum templariorum observatum) an omnia quæ illi ordini imputantur tam doctrinam, quam vitam, mores & actiones concernentia, vera sient inquirendum, aut quibusdam piis prudentibusque viris à Pontifice, ut omnia quam diligentissime & accuratissimè investigent, demandandum esse, existimant, notum enim esse ajunt, quam utilem in Ecclesia DEI Patres Societatis navarint operam, dum tam in veteri quam novo orbe multa infidelium Ethnicorum & Hæreticorũ millia ad veræ fidei lumẽ perduxerint, quã in defesso labore honorem S. Matris Ecclesiæ ejusque capitis & Christi in terris vicarii potestatem defenderint, juventutem in omnibus bonis artibus, linguis, scientiis erudierint & jam dum erudiant, unde tantam nominis famam sibi acquisiverint, ut nec ullus fere è Monarchis Principibus aliisve Magnatibus (ne quidem summis Pontificibus exceptis) existat, cujus non sient confessarii, & intimam cum eo exerceant familiaritatem; illosque delere velle esse idem ac Catholicam Religionem ipsam eradicare, quæ hactenus illorum operâ firma & inconcussa steterit, atq; Hæretici ansam dare credendi, omnia non tantum singulis sed universis totiq; Ordini Societatis objecta (ac sæpius efficta) crimina verissima fuisse; imò apud multos hasce voces audiendas fore, quia Jesuitæ divitiis in immensum ab Impp. Regg. Principp. aliisque Christi & Societatis fidelibus, devotis ac mancipiis aucti fuerint, ideò invidiam sibi apud malevolũ populum conflasse, spem lucri apud ipsosmet benefactores Principes, ut nempe illorum bonis occupatis potentiores & ditiores evadant: Tentandam itaque prius esse viam mitiorem, nempe ut corrigant Patres Societatis doctrinam & vitam, ac imposterum meliores se daturos fructus spondeant, sique hoc fiat, tunc non esse rejiciendos, si verò tena-

cius suos errores vitiaque defendere velint, nullaque spes ad meliorem illos reducendi frugem supersit, tunc tanquam membra putrida à sano Ecclesiæ corpore abscindenda esse; nam considerari debere, quod Malevolorum accusationes non semper veritate nitantur, & mortalibus quasi natura insitum esse, recentem aliorum felicitatem ægris oculis aspicere. Hinc neque cæterorum Ordinum quærimonias ac sinistra de Jesuitis judicia attendenda esse, siquidem ea ex mero invidiæ livore orta sient. At his rationibus & quæ plura in hunc finem adduci possent, absolutè rejectis, magna vehementiâ clamabat Titius, mihi videtur, salva tamen semper auctoritate Majorum & rectius meliusque sentientium; quod mirabiliter Ecclesiæ Catholicæ imò toti fidei Christianæ expediret, si Sanctissimus Dominus Noster Pontifex Romanus sive de rigore juris sive de plenitudine potestatis, istum ordinem Societatis diffamatissimum, qui tamdiu eam, ordo em Nominis Catholici ac Christiani quantum in se fuit apud incredulos in china (in quo Regno nuperrimè magnas contra Jesuitas seditiones obortas fuisse retulit Titio Mercurius) Japponia, America, ac apud Hæreticos, fœtere, & multos fideles in stabilitate fidei Catholicæ titubare, seductosque contumacius suos errores fovere, jam fecit; sine tarditate aliqua, rejectis contrariis frivolis & calumniosis objectionibus rationibusque super defensione danda, ex officio suo pontificiali non expectato aliquo de ea re concilio omnino tolleret: Bonis ejus ordinis absolutè sedis Apostolicæ dispositioni ad alios pios & congruos usus reservatis: Et sine tarditate dico: etiamsi à prima sua institutione fuerit ordo Religiosissimus, optimus ac utilissimus, etiamsi nullum alium scopum ac finem ab initio habuerit quam Gloriam DEI ac salutem proximi: proque his ejus Socii usque ad effusionem sanguinis decertarint, etiamsi multi faria & magna miracula patrarint, Dæmonia ejecerint, varias ægritudines depulerint, mortuos suscitaverint juventutem in omnibus artibus scientiisque informarint, atque in vita & doctrina se verè Religiosos esse ostenderint; etiamsi applausum mundi & gratiam Imperatorum, Regum & Principp. meruerint, cum dicat scriptura di. C. verum. Quod si nonnulli ex prædecessoribus nostris fecerunt aliqua, quæ illo tempore potuerunt esse sine culpa, & postea vertuntur in errorem & superstitionem, sicut de dicto ordine apparet, sine tarditate aliqua, & ejus magna auctoritate à posteris destruantur; sicut tam ibi quam 2. Reg. 18. c. de Ezechia legitur, quod confregit Æneum serpentem, quem Moyses Domino jubente construxit. Et iterum bene dico, sine tarditate ne ex tarditate morosa, scintilla hujus erroris prorumpat in flammam, quæ posset incendere totum orbem Christianum & fidem Catholicam non modicum denigrare; & accidat quod dicit Hieron. quod Arius una scintilla fuit in Alexandria, sed quia statim oppressus non extitit, flamma ejus totum orbem populata 24. q. 3. secundæ

Nec

Nec multum movere debet Pontificem quod dicunt aliqui, prædictum Societatis ordinem qui Eccleſiæ videtur eſſe membrum tam nobile, dum omnium Religionum ſe habere perfectionem, & in quo aliæ excellunt in eo ſe eminentiori modo lucere in Eccleſia gloriatur, non debere ſine juris ordine & plena diſcuſſione truncari: Cum ſalva pace dicentium, & propter grave ſcandalum quod in Eccleſia DEI ex hoc ordine jam eſt ortum, & ſemper ubique fere terrarum ex moroſâ dilatione crebreſcit, non videtur tanta & tam accurata diſcuſſio requirenda veritate dicente Matt. 6. & 18. c. Si oculus tuus dexter, vel brachium dextrum ſcandalizant te, erue eos, & projice abs te. Expedit enim, ut unum membrorum tuorum pereat, quam totum corpus. Item etiam expedit alia ratione dictum ordinem tolli, videlicet ne eo remanente, ſemper indigna facti memoria refricetur. Unde ſuper illud Levitici 20. Mulier quæ acceſſerit ad omne pecus, aſcendi ab eo, mulierem interficietis, & pecus morte moriatur: dicit Aug. inde credendum eſt pecora juſſa interfici, non quia peccaverunt, cum ſint irrationabilia, ſed qui tali flagitio contaminata indignam refricant facti memoriam. Et eſt Decretum 15. q. 1. c. Mulier. Hæc graviter & prudenter Redivivus Epiſcopus Minutenſis Titius contra Societatem diſſerebat, & in ſimul addebat. ſe optare ut quamprimum in omnibus Regnis, Principatibus, Ditionibus, civitatibusque Patres Societatis ejiciantur, ac Mandatum illud (quod ſive verum ſive fictum fuerit; tamen ex piiſſimi Catholici hominis Zelo optimo profectum eſt, ac Titio inſerere hoc loco libuit) ſub nomine Philippi IV. Hiſpaniarum Regis Catholici gl. r. evulgatum quantocyus exequatur; Cujus hæc fuere verba.

Nos Philippus DEI gratia, Rex Caſtellæ & Legionis, poſtquam nobis verè relatum Patres Theadinos ſive Jeſuitas eſſe homines damnoſos & in omnibus Regnis & Rebuspublicis rebelles, viſum nobis ex prægnantibus cauſis zelo Divinæ gloriæ, emolumento & levamine ſubditorum noſtrorum ſtudio conſervandæ pacis & tranquillitatis publicæ, prout ſubditis noſtris obſtricti ſumus, volumus & jubemus, ut dicti Theadini ſive Jeſuitæ omnes ſpatio duorum Menſium à die ſubſcripta Regnis noſtris excedant, illosq; nemo recipiat, ſuſtentet, foveat, neq; ipſis præbeat ſuppetias. Neq; etiam audeant in ditiones noſtri juris redire, & ſi exacto termino in hoc edicto præfixo quisquam alicubi inventus fuerit, quilibet eum detegere & Magiſtratui ſiſtere teneatur, ut vinculis & pœna promerita caſtigetur, quisquis autem latentem non manifeſtaverit, pro ejusdem Rebellionis criminis correo & hoſte communi Patriæ habebitur. Ne autem quisquam hujus edicti noſtri igno-

ignorantiam prætendere possit, volumus & jubemus, ut hæc omnes Magistratus & Superiores in omnibus Regionibus nostris solenniter per Præcones in omnibus Plateis, foris, & aliis locis publicent. Signatum Madrit. 2. Octobr. 1655.

Et ejusmodi Mandatum, ajebat Titius, vel per decretum Solenne aliquod Pontificis Romani sine Concilio desuper habito, ex plenitudine potestatis, vel in Concilio aliquo Generali aut Nationali; idque sive ad modum inter necionis templariorum quondam Equitum, sive vesperarum singularum, sive nuptiarum Parisientium, felicissimè cum bono totius Christiani orbis effectui dari potest, sic Hæreticorum calumniantium ora obtunderentur, Catholicæ Ecclesiæ suus splendor, Magistratui seculari sua securitas, cæteris Religiosis ordinibus pristinus vigor & auctoritas, omni denique Populo dulcissima ac firmissima Pax ubique terrarum redderentur ac conservarentur. An calculum meum huic Titii sententiæ addam, dubius sum, licet is variis adductis argumentis eò me pertrahere conatus sit, ita ut nolens volens ex familiari, quæ inter nos jam per aliquot annos viguit, & intima amicitiâ, tandem accedere coactus fuerim; Si vero fortassis nimis rigida & durissimæ digestionis quæ in hunc finem dixi ac scripsi, Societatis patribus esse videntur, Synceritatem ac candorem Germanum animi accusent mei, qui semper veritatem amavit, eamque, quando & ubi requirebatur, nunquam celavit. Murmura atque censuras eorum, qui sunt sublimiori ingenio & maturiori judicio præditi, quibusque

De meliori luto finxit præcordia Titan.

non attendo, ne tamen mihi soli sapere videar, rogo & oro eos, firmissimis validissimisque aliis rationibus à mea sententia dimovere ac in rectam æquamque viam me perducere quantocius velint; licet ipsamet Societatis membra non contradicere dictis posse persuasissimum mihi fiet, si veritatem (ut aliàs præ se ferunt) nullo odio habent. Interim quæcunque à me & à Titio bona malave aut in amorem aut odium Societatis, jam prolata sunt, verissima esse judicans consignavi in tali loco, ubi scribere ac dicere vera permissum; Vos reverendi Patres, hujusque ordinis Benefactores Mancipia, Clientes, Devoti, Devotæque omnia æqui bonique Consulite, & Pacificum tanquam Virtutum æquum æstimatorem, sed & vitiorum severissimum Censorem, ut facitis, amare pergite.

F I N I S.




Entretiens sur l'opinion de Copernic touchant
la mobilité de la Terre par Mlle Jeanne
Dumée de Paris. A Paris 1680.

♃ Die 14 Februarij
1681 Mane
Hora noctis secunda
italica civili

☽ Die 17 Februarij
1681 Mane
Circa meridiem

♂ Die 18 Februarij
1681 Vesperi
H 4 1/2 italica civili



Mc